Cognitio
vitiorum et
virtutum

...w 13.		Czerwony złoty po tynfów 13. y po 1. szostaku.		
...ostaki.		Czer: zła:	Tynfy	Szostaki
1.				
2.				
-				
1.				1.
2.				2.
-				
1.				1.
2.				2.
-				
1.				1.
2.				2.
-				
1.				1.
2.				2.
-				
1.				1.
2.				2.
-				
1.				1.
2.				
21.				

VITIORUM ET VIRTUTUM
COGNITIO

Atqué
Ut illorum curandorum remedia
Ita harum comparandarum

ARS

Seu

PRAXES

De
Extirpandis vitiis & virtutibus inserendis omnibus virtutum Studiosis

UTILISSIMÆ

Jam dudum scriptis
nunc Typis

EXPOSITÆ

Annô 1763.

V I L N Æ
Typis S. R. M. Academicis
Societatis JESU.

Praxes prædictæ uti lectæ & revisæ

IMPRIMANTUR

A. KOŁŁĄTAY Sacræ Thlgæ Doctori Præl: Can: Viln: L. C. mpp.

FACULTAS

R. P. PROVINCIALIS

CUm Librum, qui inscribitur: *Praxes de Vitiis extirpandis & Virtutibus inserendis.* Olim pro Nov tijs nostris à Quodam è Societ. *JESU* conscriptum, aliquot Ejusdem *Societatis Theologi* recognoverint, potestate mihi facta ab Admodum Rvrendo P. nostro *LAURENTIO RICCI* præfatæ *Societatis* Præposito Generali, concedo ut Typis mandetur, si ijs ad Quos pertinet videbitur. In Cujus rei fidem has Literas manû nostrâ subscriptas, Sigilloq; munitas dedimus. Vilnæ D. 31. Mense 8bri Annô 1763.

STANISLAUS ZABA S. J. mpp.

PROEMIUM.

VIrtutes & Vitia animi Religioso maximè homini curanda sunt: hæc ut morbi, illæ ut valetudo, & certa animi ornamenta. Utriusq; studii viam nobis tradidit Beatus Societatis *nostræ* Parens IGNATIUS, *proposito examinis particularis modo, in suo aureo Exercitiorum Spiritualium Libello.*

Eò advertit animum, operamq; suam contulit, Qui istas quas hic appono Praxes, *collegit, atq; ita inscripsit sive Ille, quod ajunt* P. Laurentius Bartilius, *nostrorum olim* Tyronum Magister, *deinde*

Litvanicæ *hujus* Provinciæ Præses *ſive neſcio qui, ex eadem Provincia alius, Vir certè, quod ex ipſo ſuo colligas opuſculo vitæ Religioſæ ſtudioſus, atq; induſtrius. Rem ille nobis reliquit perutilem quâ ſic uti poteris.*

Sentis te ingenio eſſe proniore (exempli gratia) ad ſuperbiam, deſiderari propterea demiſſionem animi, ſive humilitatem, ergo, 1mo *Age, cognoſce, quid vitii ſuperbia ſit?* 2do *Quibus quaſi* gradibus *pravus animus ad ſummum veniat.* 3tio *Quibus quaſi* portis *ex animi latebris erumpat foras.*

Tum è regione ſuperbiæ oppoſitam virtutem humilitatem *conſtitue, & gradus gradibus, actibus*

actus oppones: Deinde quæ ad hanc proſequendam, vitandam illam movere poſſint conſidera; Deniq; quibus viis expugnes vitium, vitio virtutem ſufficias, explorabis. Si vitium jam vetus eſt, profundiùsq; radices egit, conare imprimis eam partem evellere quæ cæteris perniſioſior eſt. Hâc revulsâ, perge ad proximam, deinde aliquos frutices fodito. Ita arborem peſtiferam evertes. Sed te profecturum nihil aut parum ſcias, niſi quod ſtirpitùs evulſum ſit, particulatim carpſeris. Nimirum ut in aliis quibusvis, ſic in vitiis conjuncta vis eſt fortior, & ſæpè inexpugnabilis.

Utere jam Lector Benevole ad ſaluberrimum quod tibi & quô modô Divus Parens propoſuit profi-

ciendi in virtutibus consilium, hâc etiam quam in his Praxibus habes Industriâ.

Ad

M. D. G.

PRA-

PRAXIS I.

De natura, motivis, & medijs Amoris proprij.

Primum Punctum.

AMor proprius (juxta S. Basilium) est affectus animi, quo quis vult sibi bona, & fugit adversa: propter seipsum vel sistendo in seipso tanquam in fine.

Gradus amoris proprij sunt tres.

1mus. Subterfugere mortificationẽ. *2dus.* Laxare habenas sensualitatibus emendicando à creaturis sensuum oblectamenta. *3tius.* Quærere modis etiam illicitis eminentiam & honorem suprà alios.

Actus interni amoris proprij sunt hi. Magni seipsum & sua facere præfe-

rendo se alijs. Velle amari, timeri, honorari, & laudari ab alijs propter se ipsum. Timere contemptum & vilipensionem sui. Erubescere defectus naturæ aut imbecillitatis. Desiderare res superfluas & vanas. Desiderare & cogitare quomodò sensuum voluptati satisfacere possis. Tristari ob dispositionem de se quò ad locum, occupationem &c. factam contra suam voluntatem. Ægrè ferre defectum in victu, vestitu &c. Invidere bona alijs, quibus tu careas. Impatienter ferre cum alij tibi in aliquo præferuntur.

Actus externi amoris proprij.

Laudare seipsum coram alijs. Conqueri & murmurare contra minores, æquales, & Superiores eò, quòd tibi juxta æstimationem tuam non deferant. Aucupare honorem & æstimationem hominum, suosq; defectus occultare. Majori curâ facere opera videnda ab hominibus quàm à DEO. Facere aut

omit-

omittere, quæ non deberes in gratiam hominis. Conquirere res etiam devotionales, curiosas & superfluas. Indulgere sensuum voluptatibus. Insinuare se in gratiam aliorum ob spem alicujus commodi obtinendi. Vituperare aliorum talenta & gratias ex invidia ne illis postponaris.

2dum punctum: Continet motiva amoris proprij superandi.

1mum motivum sumitur ab affectibus illius malis, quorum *1mus* est, quia pervertit ordinem rerum; cùm enim DEUS omnia propter se tanquam finẽ ultimum creaverit, & suam gloriam in omnibus ab omnibus quæri voluerit; amator sui seipsum pro fine habet. Deindè cùm plùs omnibus anima & res spirituales æstimandæ sint, amator sui præfert curam carnis animæ. *2dus* quia evertit amorem DEI & totã Sanctitatis perfectionem; nam amor DEI respicit Creatorem; proprius autem

tem creaturam, ille quærit, quæ DEO placent, iste, quæ homini, ille fons est meritorum, iste origo omnium malorũ. *3tius* quia impugnat matrem virtutum charitatẽ, quâ expugnatâ omnes virtutes funditùs evertit; nam amor proprius reddit religiosum odibilem religioni, proximo, Angelis & DEO; cum enim religiosus ad hoc vocatus sit, ut in obligatione DEO serviat, proximum ædificet atq; convertat & ut Christum Pauperem, castum, & obedientem imitetur, ille verò amore proprio ductus omnia his contraria præstat, an non dignum se odiô religioni, proximo, Angelis, & DEO reddit.

2dum motivum: Quia extirpato amore proprio facilè omnes aliæ passiones extirpantur; sicut sublatâ materiâ flammæ extinguitur ignis, obturatâ scaturigine, siccantur rivi, capto duce totus exercitus dissipatur, ita sublato amore proprio &c.

3tium

3tium motivum: Exempla multorum SS. præcipuè S. P. N. IGNATIJ, S. XAVERIJ, qui amorem proprium statim initio suæ conversionis ad DEUM per continuam abnegationem & mortificationem subjugârunt.

3tium punctum proponit media vincendi amorem proprium, & hæc alia sunt universalia, alia particularia.

Ex universalibus sunt: fuga rerum terrenarum. Continua pugna cum hoc hoste per mortificationem adhibita. Diffidentia nostri, & fidutia in auxilio Divino. Recta intentio in omnibus quærendi DEUM.

Ex particularibus sunt; quæ actibus amoris proprij opponuntur, ut est: vilis æstimatio sui. Contemptus laudis humanæ, amor confusionum. Manifestatio propriorũ defectuũ. Continua mortificatio sensuum & honoris proprij insuper exercitium humilitatis & obedientiæ.

Usus ejaculatoriorum actuum cujusmodi sunt.

Exultet anima mea in Domino, & delectetur super salutari suo. *Ps.* 34. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum: *Ps.* 118. Dominus pars hæreditatis meæ. *Ps.* 15. DEUS cordis mei & pars mea DEUS in æternũ. *Ps.* 72.

PRAXIS II.

De natura motivis & medijs Ariditatis in Oratione.

Punctum 1mum: Ariditas spiritualis juxtà Danielem Abbatem est sterilitas & desolatio mentis.

Gradus Ariditatis sunt tres.

1mus: Spiritualia sine gustu, attentione, & intentione actuali expedire. *2dus.* Tædio in spiritualibus actionibus affici. *3tius.* Prædictas actiones cum imperfectionibus absolvere, abbreviare, aut omittere.

Actus

Actus interni Ariditatis sunt hi:

Meditationes sine præparatione & additionibus S. Patris peragere. Examina non per puncta, sed cursim facere. Ægrè se recolligere & ad cor redire.

Actus externi sequentes.

In meditatione se fulcire, spuere, digitos trahere, caput fricare &c. In oratione vocali verba citò proferre, detruncare, omittere, alios interpellare. In usu Sacramentorum irreverentem situm gerere.

2dum punctum. Motiva vitandæ Ariditatis.

1mum. Quia Ariditas disciplinam religiosam reddit gravem, quam Christus dixit onus esse leve *Matth:* 11.

2dum. Quia religiosũ facile reddit laxum in observatione regularum.

3tium. Quia efficit, ut Religiosus effundat se in delectationes terrenas (cùm spiritualibus careat) non sine scandalo proximi.

3tiũ punctũ media Ariditatis sunt hæc.

1mum. Investigare causas ex parte nostra, & eas pro virili superare; præcipuæ autẽ assignãtur à P. Claudio hæ: Hominis instabilitas ac indispositio corporis. Inopia discursus & materiæ. Inordinatus affectus ad aliquid. Negligens custodia sensuum. Otium aut nimiæ occupationes.

2dum. Humiliare se coram DEO his modis. *1mo.* Constituendo se cum David in conspectu DEI instar infantis, cæci, nudi, famelici derelicti ab omnibus, & proportionatos personis affectus eliciendo. *2do.* Agnoscendo se spurco ore indignum nominare DEI nomen, sed cum peccatrice pœnitente Thaide dicere: *qui plasmâsti me, miserere mei*; quâ oratione triennio continuatâ meruit in cælo thalamum auream, quem Paulus S. Antonio paratum putaverat. *3tio* Agnoscendo in oculis DEI propriam culpam & sua

pecca-

peccata huic ariditati causam dedisse, dicere cum M. Avila: ego Domine his distractionibus, tumultibus & ariditatibus causam dedi; ex parte autẽ tua ista mentis inanitas justissima pœna est meorum peccatorũ, quã libẽtissimè ceu Parentis optimi virgã amplector.

3tium. Juxta P. Antonium de Gaudier: resignare se in manus DEI projciendo semet ad pedes Crucifixi, & rogando ut secum faciat, quidquid illi placuerit.

4tum medium ex S. Francisco Borgia: dare se impensiùs afflictionibus corporis, circumspectiùs in omnibus actionibus hâc die coràm DEO ambulare, & minimos etiam defectus vitare. Item ex P. Alvares: cavere scilicet ne quidquam tẽpore ariditatis ex ordinarijs exercitijs spiritualibus omittatur; imò plùs temporis Orationi impendendum, recurrendo nunc ad Venerabile Sacramentum; nunc ad B.

V. MARIAM & SS. Patronos, ut molesta fraus dæmonis superetur.

5*tum:* Usus ejaculatoriorum actuum *vg.* Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte universa delicta mea *Ps.* 24. Cor meum conturbatũ est, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum *Ps.* 31. Aruit tanquam testa virtus mea, & lingva mea adhæsit faucibus meis *Ps.* 21. Ne avertas faciem tuam à me, ne declines in ira à servo tuo *Ps.* 26 Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. *Ps.* 37.

Aversio vide odium.

PRAXIS III.

De natura, motivis & medijs cogitationum blasphemarum.

1*mum punctum:* Blasphemia juxta S. Thomam 22. q. 13. a. 4. est vitiũ oppositum

posi-

positum fidei, quo attribuitur aliquid DEO quod ei non convenit, vel denegatur quod illi convenit.

Gradus blasphemarum cogitationũ sicut & aliarum, per quos ad *peccatum pervenitur, sunt tres:*

1*mus.* Auscultare suggestæ à dæmone blasphemæ cogitationi. 2*dus.* Delectationem obiter ex illa accipere. 3*tius.* Consensum quâcunq; ratione eidem præbere.

Actus blasphemiæ tam interni quàm externi patent ex definitione allata *suprà.*

2*dum punctum:* Motiva vitandarum cogitationũ blasphemarum sunt hæc:

1*mum:* Quia blasphemiæ (teste S. Thoma 22.q. 13.) est peccatũ mortale ex suo genere, & maximũ peccatorum.

2*dum:* Quia pugnat cum omni justitia & charitate, quam DEO debemꝰ, & ratione naturali, cũ nemo sit ita impius, ut maledicat suo benefactori.

3*tium*

3tium: Quia gravissimè punitur à DEO, ut patet 4. *Reg*: c. 19. in Sennacherib Rege Assiriorum.

3tium punctum: Media vitandarum cogitationũ blasphemarum sunt hæc:

1mum: Ex Joanne Climaco art: 23. Statim exortam cogitationem blasphemiæ rejicere & cõtemnere Ubi addit: Qui præter hunc modum adversus blasphemiæ spiritum pugnare vult, is ei similis est, qui manibus suis coruscationem continere nititur. Idem Climacus svadet manifestationem talium cogitationum P. Spirituali.

2dum: Elicere actus fidei, item uti ejaculatorijs oppositis huic vitio dicendo: Benedic anima mea Domino & omnia quæ intra me sunt Nomini S. ejus. *Ps*: 102. Laudationem Domini loquetur os meũ, & benedicat omnis caro Nomini ejus in sæculũ *Ps*: 144. Magnus Dominus & laudabilis nimis & magnitudinis ejus non est finis *Ps*. 143.

Ps. 144. Regnum tuum Regnũ omnium sæculorum *ibid:* Dignus eſt Domine DEUS noſter accipere gloriam & honorem & virtutem, quia tu creaſti omnia *Apoc:* 4.

PRAXIS IV.

De natura, motivis & medijs Curioſitatis.

1*mum punctum*. Curioſitas juxta Hugonem eſt ſuperflua indagatio ad ſe non pertinentium.

Gradꝰ Curioſitatis tres aſſignat S. Bonv.

1*mus*. Inquirere ea, quæ ad ſtatum ſuum non ſpectant, vel illum excedũt.

2*dus*. Negligere ea, quæ ſunt tui ſtatûs, ut aliena ſcias.

3*tius*. Indagare mores & vitia aliorum, & judicare temerè.

Actus Curioſitatis interni.

Totum ſe dare diſcurſui in meditatione non deſcendendo ad actus practicos

ẽticos voluntatis. Scrutari myſtaria Trinitatis, Incarnationis &c. Deſiderare habere viſiones per ſomnia. Velle ſcire quæ in aliqua domo aut loco aguntur. Velle rerum minùs neceſſariarum ſibi naturas penetrare. Velle ſolicitè videre, audire guſtare, odorari, palpare res non neceſſarias.

Actus externi.

Projicere vagos oculos in angulos, Perſonas, domos, & res alias. Circũſpicere quid quisq; habeat vel agat. Inquirere de diſpoſitione ſui & aliorum. Præbere libenter rumoribus aures, & colloquentibus facilè ſeſe ingerere. Loqui libenter de rumoribus & his, quæ ad ſe non ſpectant. Indagare defectus alienos neglectis propriis. Occupare ſe literis inſignificandis rumoribus. Viſitare Culinam & alia loca inquirendo quid? & quomodo fiat?

2dum punctum. Motiva vitandæ curioſitatis ſunt hæc.

1mum.

1mum. Quia curiositas aperit viam tentationibus & lapsibus multis;cum enim dæmon veluti araneus sedeat in omnibus creaturis, ut sagittet amore illarum rectos corde, facilè curiosum vulnerabit.

2dum. Quia tollit pacem animi & multas inquietudines suscitat, nam postquam curiosus per aliquem sensũ, aliquid jucunditatis ex creaturis perceperit,statim varias in se exoriri passiones, pro illa possidenda sentiet,uti sunt varia desideria, spes, timor, audatia, aut è contra desperatio,ira, tristitia, proindè talis nunquam ad contemplationem rerum Divinarum cõscendere poterit.

3tium: Quia stultum est inquirere frivola, & de æternis parùm solicitum esse, sensus permittere vagari per ea, quæ non parvum supplicium secum trahunt, conari satiare animam insatiabilem,visis,auditis;occupare sensus

in

in rivulis creaturarum, cum mare voluptatis DEUS propiùs adſit.

3tium punctum Media vincendi curioſitatem.

1mum Inveſtigare quô quiſpiam maximè ſoleat oblectari,& ſtatim mortificationem in ſenſu illi9 objecti adhibere, offerendo illam DEO ex amore illius.

2dum Prævidere occaſiones delinquendi curioſitate per aliquem ſenſum,& imprimis armare ſe contra illas firmo propoſito, deindè in ipſis occaſionib9 executioni illud mandare.

3tium Exempla ſibi ponere ob oculos eorum, qui curioſitatem calcârũt, uti erat P. Antonius de Quiros qui nec ad hortos, nec ad villas unquam exibat, imò nec Hiſpalenſem Regiam opere & amœnitate viſendam unquam voluit ſpectare.

4tum. Ejaculatorios actus uſurpare in occaſione curioſitatis *vg.* Noverim me

me, noverim te, ut contemnam me,& amem te. *S. Aug:* Averte oculos tuos ne videant vanitatem. Sonet vox tua in auribus meis *Cant:2.* Satiabor cum apparuerit gloria tua *Ps.* 16.

PRAXIS V.

De natura motivis & medijs distractionum in Oratione.

1mum punctum. Distractio in oratione est quædam dissipatio mentis.

Gradus & actus illius vide in Praxi de ariditate.

2dum punctum Motiva vitandæ distractionis in oratione.

1mum Quia dedecet inter colloquẽdum cum tanto Rege cum alijs agere.

2dum. Quia distractiones trahũt secum culpam & pœnam subeundam.

3tium. Quia magis fatigant hominem & opus retardant, ne benè & expeditè fiat.

3tium

3tium punctum. Media vitandi distractiones.

1mum. Amovere causas distractionũ enumeratas à S. Bern: serm: in Cant: quæ sunt: culpa mordens, per contritionem & confessionem. Cura pungens per discretionem. Sensus egens per mortificationem. Phantasia distrahens per præludiorum usurpationem, insuper tentatio dæmonis per custodiam sui & recursũ ad DEUM.

2dum Gersonis ex *Ecl:* 18. Ante orationem præpara animam tuam, adhibendo nimirum præparationem tã remotam, uti est invenire, prævidere, & disponere materiam; quàm proximam, scilicet adhibere præludia, reverenti situ in conspectu DEI se collocare, & potentias animæ exercitio applicare.

3tium Surda aure præterire ingerentes se alienas cogitationes contemnendo illas exemplo illius cæci

Luc: 18. clamantis post JESUM, licet à plebe increparetur. Quodsi per aliquam incuriam adverteris te distractum, statim ab ipsa distractione occasionem sume redeundi in viam cum dolore & proposito emendationis.

4tum; Si materia & discursus deficiant possunt expendi *vg.* aliqua attributa Divina: infinita Majestas, summa Sapientia, Bonitas, Justitia, *&c.* Item Beneficia nobis multa collata, & merita Christi, deniq; ingratitudo nostra, & plurimæ miseriæ.

5tum. Usus ejaculatoriorum actuum. DEUS in adjutorium meum intende *Ps:* 69. Loquar ad Dominum meum, cum sim cinis & pulvis. *Gen:* 18. Lætifica animam servi tui, quoniam ad te levavi animam meam: *Ps.* 89. Dirigatur Domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo. *Ps:* 140.

PRAXIS VI.

De natura motivis & medijs familiaritatis noxiæ.

1mum punctum. Familiaritas est particularis affectio duorum aut trium inter se singularem ab alijs Societatem ineuntium.

Gradus familiaritatis præcipui tres ex S. Bonav. colliguntur.

1mus. Sæpiùs colloqui de rebus varijs non suo tempore, loco, & modo. *2dus.* Loqui de aliorum æqualium, vel inferiorum moribꝰ censurando illos. *3tius.* Obmurmurare Superioribus.

Actus interni familiaritatis.

Ægrè ferre, si â Superioribꝰ separeris. Tristari, si aliquis ineat amicitiam familiarium tuorum. Majori propensione animi ferri in familiares, quàm alios. Nolle manifestare defectus sui dilecti coram Superiore. *Actus*

Actus externi.

Ad mensam esculenta & poculenta familiari meliora suppeditare. Cõmoditates corporis pro viribus in omnibus diligentiùs, quàm alijs procurare. Munuscula varia illis offerre. Defectus eorum extenuare & defendere. In recreationibus potiùs illis, quàm alijs assidere. Cubicula colloquij gratiâ illorum intrare etiam temporibꝰ vetitis.

2dum punctum. Motiva vitandæ familiaritatis nimiæ præcipua sunt;

1mum. Quia spiritualis vitæ Magistri præcipuè *S. Bas.* hoc vitium graviter puniri voluit; qui tales castigari statuit ut inimicos publicæ charitatis.

2dum. Quia familiaritas hæc multorum malorum origo est; nam *1mo:* Fovet sensualitatem, de qua *B. Laur: Just:* O quanti (inquit) simulata pereunt dilectione! heu quàm multi in principio purè & sine deceptione cõversantes, ex nimia familiaritate pau-

latim infecti immanè præcipitium delapsi sunt! Item *S. Theressiæ* locus in inferno ostensus erat â DEO, in quem devenisset, si familiaritates suas (licet initio honestæ fuerint) continuasset. *2do.* Inducit violationem regularũ & teporem; in conversationibus familiaribus (inquit *S. Laur. Just.*) intermisceri vaniloquia, scurrilitates, detractiones, risus effrænatos, quibus mens distrahitur, compunctio dissolvitur, gratia DEI amittitur. *3tio.* Demolitur charitatem, nimia familiaritas (inquit *S. Bas.*) sub specie quâdam veræ charitatis multos illectos in teterrimam voraginem detrusit. Et alio in loco de eodem vitio loquens, ait: ubiq; inæqualitas defraudationum, suspitionum, odij, & invidiæ materia est, nec autem solùm id accidit ei, qui alium inordinato amore diligit, sed etiam, qui diligitur. Adde quòd familiaritas evertat justitiam, quæ jubet reddi

reddi cuiq; quod ſuum eſt, familiaritatis verò amator id negligit.

3tium. Quia nimiæ familiaritates præcipuè in Societate multis extiterunt cauſa amittendæ vocationis ut experientia docuit.

3tium punctum. Media evitandi familiaritates noxias.

1mum. Attendere ordinarijs actionibus, ut fiant rectè, diligenter, & ordinatè, ſuum cuiq; tempus fideliter impendendo, ſic enim ſubtrahitur occaſio familiaritatum otioſarum & noxiarum.

2dum. Devotionem animi & fervorem pijs exercitijs virtutum fovêre, nam deficiente conſolatione ſpiritua-li, cogitur homo à familiaribus & alijs creaturis illam emendicare.

3tium. Obſervationi regularum etiã minimarum incumbere.

4tum. Obſervare diligenter, ne ſub ſpecie boni, quiſpiam in tuam, vel tu

in illius singularem familiaritatem te insinues, duòd si jam irrepserit per incuriam, & inceperint inter alios ex illa oriri aliquæ suspiciones, statim deserenda est, exemplo eorum, de quibus Climacus: vidi inquit juvenes se invicem castissimo amore, ac secundũ DEUM diligentes, qui tamen, cùm aliorum conscientiam indè lædi conspicerent, convenit inter eos, ut se ab invicem ad tempus elongarent.

5tum. Usus ejaculatoriorum actuum vg. Mihi adhærere DEO bonum est, ponere in Domino spem meam Ps. 85. Pars mea Dominus dixit anima mea, propterea expectabo eum Thren. 3. Exultet anima mea in Domino & delectetur super salutari suo Ps. 34. Eripe me Domine ab homine malo Ps. 139. O JESU mi tu solus es spes mea, & solatium in æternum.

PRAXIS VII.

De natura motivis & medijs gulæ.

1mum punctum. Gula secundùm *S. Thom.* 2.2. *quæst.* 14. *a.* 8. Est immoderata cibi aviditas, seu inordinatus appetitus cibi vel potûs.

Gradus Gulæ tres.

1mus. Excedere in edendo modum decentiæ, avidè, citò, & immodestè sumendo. *2dus.* Excedere quantitatem sumendo plùs, quàm necessitas requirit, & non suo tempore. *3tius.* Excedere qualitatem, uti est non esse contentum ordinarijs cibis, sed delicatiores requirere.

Actus interni gulæ.

Cogitare de solemnitatibus mensæ, & qualitate ferculorum apponendorum. Appetere sub prætextu necessitatis delicatiora esculenta & poculenta. Solicitum esse de modo satisfaci

endi sensualitati. Indignari, si tardè aut minùs ad palatum ferantur cibi. Non attendere lectioni, sed totum affectum cibis immergere. Non frænare appetitum, sed laxare habenas illi.

Actus externi.

Visitare loca esculentorum, & poculentorum inquirendo de illis. Inquirere curiosè de hora prandij, cænæ, & de qualitate ferculorum apponendorum. Vagari oculis per scutellas aliorum. Accipere de rota remotiores scutellas, & aliorum portiones. Immoderatè se gerere quô ad situm mēbrorum, & usum instrumentorum refectionis. Immergere se in scutellam toto affectu. Implere ad summum cochlear, & os magnis bolis. Inter comedendum & bibendum morari propter gustum, aut properare nimis. Condimenta peculiaria requirere. Frequenter de esculentis & poculentis loqui, aut vituperare administros eorum.

2dum punctū: Motiva frænãdæ gulæ.

1mū. Quia ex vitio gulæ multa mala sequuntur.

1mum est: quia gulosum impossibilè est (ait Cas.) esse castum. Item nunquam de alijs vitijs victoriam referet, qui priùs gulam non subjugaverit. *2dum*. Quia tales non perseverant, teste *S. Bas.* de abdic: ubi dicit: vitijs alijs obnoxios se vidisse resipuisse, qui huic se subdidissent, aut secreto, aut alieno tempore aut loco edendo, tandem excidisse à religione, vel si manserint, mancipia diaboli, curiosos, querulos; commodi amantes & obstinatos factos. Addit S. Greg. l. 31. mor. cap. 12. *De ventris ingluvie inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagatur.*

2dum. Quia ventris moderatio (inquit *S. Bas.*) animi perturbationum compressio est, perturbationum autem

compreſſio animi pax eſt atq;tranquilitas, animi verò tranquilitas nihil aliud eſt, quàm virtutum fæcundiſſimus fons.

3*tium* Exempla Sanctorum, ac imprimis Chriſti Domini,qui antequàm inciperet ſe manifeſtare mundo jejunavit 40. diebus. Item omnes alij qui ad culmen ſanctitatis pervenerunt, ab hoc inchoarunt: ſic *Elias. S. Joannes Baptiſta. S,P. N. Ignatius.*

3*tium punctum*. Media cohibendi gulam:

1*mum* Ut quivis diligenter inquirat menſuram victus in cibo & potu,reſpiciendo hæc:1*mo* labores ſubeundos corporis & animi.2*do* regulas proprij inſtituti. 3*tio* Conſilium ſuperioris. 4*to* rationem rectam & conſcientiam propriam. 5*to* Modum, ut conſtanter paulatim detrahat nonnulla ſuperflua, ſemperq; plura ac plura indies,donec ad mediocritatem deveniat,quam cum invenerit, ſolicitè cuſtodiat, etſi per negli-

negligentiam excesserit, nō sinat absq; pœnitentia abire.

2dum Præscribit *S. Vinc* quod consistit in his. *1mo* In principio mensæ non statim extendere manus ad cibū, sed aliquantulùm expectare donec possit dici Pater & Ave pro defunctis magis indigentibus, *2do* Attendere ad lectionem piam aut aliquam meditationem spiritualem. *3tio* Nihil in mēsa desiderare, rogare, aut recipere plùs aut delicatius præ alijs. *4to* Semper aliquid ex potu & cibo idq; in delicatiori bolo Christo pauperi relinquere. *5to* Non adhibere condimenta peculiaria in mensa, & si quid ex fructibus afferatur, quod non tam necessitati, quàm sensualitati inserviat, illud propter Christum non sumere. *6to* Ut in tali modo sobrietatis quis perseveret, oportet in timore stare, cognoscendo se omnia à DEO habere perseverantiam petendo, & alios non judi-

cando de excessu in victu, sed eis ex corde cõp tiendo, ac pro illis orãdo.

3tium. In eo appetitum vincere, in quod magis ruit, uti fecit *P.Colnag9*, qui quiá vehementem áppetitum in se erga ficus sentiebat, nunquam illas gustabat, cujus rei causam rogatus, reposuit, quòd sibi nocerent.

4tum. Usus actuum *vg.* Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mòrtis hujus *Rom.* 7. *v.* 24. Beati qui ad cœnam Agni vocati sunt *Apoc.* 19. Domine apud te est fons vitæ. Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. *Ps.* 144. Satiabor cum apparuerit gloria tua.

PRAXIS VIII.

De natura motivis & medijs immodestiæ.

1mum punctum. Immodestia est vitiũ, quod modũ regulãdi externos motꝰ ac gestus corporis depravat. *Gra-*

Gradus illius ex S. Baſ. *tres præcipui.* 1*mus*. Verſatur circa motus oris in loquendo, ridendo &c. 2*dus* circa geſtus & uſum aliorũ membrorum *vg.* Si unum membrum alterius officio fungatur, ut oculus aut digitus linguæ, aut ſuo quidem, ſed ruditer, inurbanè diſſolutè, petulanter, barbarè. Huc etiam ſpectat uſus veſtium oculos offendens, 3*tius*. Circa actus operis; ſi actiones impetuoſe & ex perturbatione paſſionum expediantur.

Actus immodeſtiæ.

Clamoſa voce loqui in recreatione vel alibi. Leves & ſcurriles ſermones inducere. Contentioſè agere. Nimios cachinnos exercere, & levi de cauſa ridere. Nutibus loqui, & labia nimis diducere, aut comprimere. Caput faſtuoſè erigere, in alterutrum latus inflectere, & leviter agitare. Supercilia attollere, oculis vagari, & eos vultibꝰ aliorum infigere. Vultum & frontem

corru.

corrugare. In agendo cum aliis digitos, strophiolum, aut aliquid aliud versari, aut torquere, & sæpè spuere &c. In ambulatione festinare, manus extra vestem multùm exporrigere. & illis seminare. In sessione crura divaricare, pedibus agitare, manus in sinum ponere &c. In comestione festinè mappulam explicare, cubitos supra mensam ponere, bolos majores ori ingerere, buccas implere, sine præmastiatione deglutire, supra scutellam & orbem se inclinare, alienas portiones circumspicere, vehementiùs calidiora insufflare, digitos & mappulas inficere, nauseabundè execrare, dentes purgare, bolos ex ore in orbem ejicere & bibendo alios per vitrum circumspicere. In oratione nimium exclamare, suspirare, gemere, pectus fortiter tundere, manus extendere, collare, emendare, plumas vestium colligere; digitos trahere, oscitare, frequentiùs excreare, & his similia committere. 2dum

2dum punctum. Motiva vitandæ immodestiæ.

1mum. Quia immodestia religiosi valdè offendit & scandalizat sæculares, qui ex uno actu immodestiæ damnant illum imperfectionis, & totam illam domum; ideò *S.P.N Ignatius* teste *P. Consalvio* dicebat: rem esse pudore dignam, & parvæ ædificationis, si nostri domi nostræ clamosè loquantur. idq; valdè exaggerabat, & curavit assignari duos syndicos, qui etiam potestatem haberent puniendi delinquẽtes.

2dum. Quia immodestia impedit perfectionem; undè quærenti cuidam nostro Fratri, cur non proficeret in spiritu? respondit *P. Platza* Vir magnæ perfectionis: ex tui (inquiens) corporis incondito motu illam exigui tui profectus potissimam causam agnosco. Sed terribilius *S. Bern*: dictum *serm*: de panibus: hinc fratres (mihi inquit) tristitia magna & dolor conti-

continu9 cordi meo, quod nonnullos tam pronos ad levitatem, ad risum, ad scurrilia verba, tam faciles video, ut extimescam valdè, ne forte plusquam expediat Divinæ misericordiæ immemores, & ingrati tam multis beneficijs suis, aliquando deserantur à gratia quam non ut gratiam venerantur.

3tium. Quia à Spiritu S. vituperatur Eccl: 21. *fatu9 in risu exaltat vocē suam, Vir autem sapiens vix tacitè ridebit.*

3tium punctum. Media immodestiæ vitandæ vide Tit: modestia.

PRAXIS IX.

De natura motivis & medijs impatientiæ.

1mum punctum. Impatientia est vitium, quô indignè ferimur, & perturbamur propter ea, quæ nobis eveniūt contra voluntatem nostram.

Gradus illius sunt tres.

1mus

1mus est displicentiæ: cum nobis displicent dicta factaq;aliena, quæ nobis videntur adversari. *2dus* Perturbationis:cum ob eandem causam perturbamur interiùs & exteriùs. *3tius* Aversionis: quam concipimus contra illam personam, quæ displicet nobis, aut existimatur esse noxia. Cæterùm si gradus impatientiæ spectentur penes modum, ex *S. Bern.* colliguntur hi: nimirum adversa animi, corporis, honoris, & rerum temporalium ferre *1mo* cum aliqua displicentia *2do* cum repugnantia voluntatis, *3tio* cum tristitia & murmuratione.

Actus interni.

Defectibus proximi naturalibus & moralibus indignari. Facilè ob dicta factaq; aliorum interius moveri. Aversiones fovere,& vultum torvum præseferre. Injurias ab aliis illatas ruminare, & de ultione cogitare. Desiderare malum adversarijs, omnia dicta & facta

facta illorum iniquo animo ferre, & male interpretari. Adversa in quavis re undecunq́ venientia invitè & amare ferre.

Actus externi.

Ostendere in vultu & verbis signa impatientiæ & aversionis. Contra pænitentias & delatores loqui. Reprehẽsiones immodesto vultu accipere. Verba verbis impetuosè rependere, & asperè pungere. Clamosè & contentiosè cum alijs agere. In adversitatibus querelas deponere. De adversarijs ultionem sumere, & illos accusare Contra defectus in victu, vestitu, loco, personis murmurare.

2dum punctum: Motiva impatientiæ comprimendæ.

1mum. Quia per impatientiam DEUS offenditur, conscientia propria læditur, proximus scandalizatur, & pæna incurritur, hic vel in purgatorio luenda.

2dum.

2dum. Quia præcipuam virtutē charitatis evertit, & dedecet religiosū, qui ad hoc venit ad religionem, ut passiones frænaret, & Christum mitē ac mansvetum imitaretur. Undè SS. PP. tria vitia præcipua maximè religioso fugienda docent: impatientiam; superbiam, inobedientiā vel ingratitudinē.

3tium punctum. Media vitandi impatientiam.

1mum Radices, ex quibus pullulat evellere, præcipuæ autem sunt: amor proprius & superbia.

2dum Persvadere quòd nos quoq; habeamus, quæ alijs displicent, undè si volum9 tolerari, & nos toleremus.

3tium Cogitare hæc: *1mo* quàm indigna sit res ob aliquid exigui momēti aversionem concipere contra proximum, cum quo in æternum regnaturus sis in cœlo. *2dò* Exemplū Christi, & aliorum SS. qui adversa & adversarios patientissimè tolerarunt. *3ti o*

quòd

quòd nullus locus ſub ſole ſit liber ab omni adverſitate, contra quam niſi nos patientiâ muniverimus, ſemper miſeri erimus.

4tum Ex P. Claud: Aquaviva induſtr: cap: 10. Eſt antevertere occaſiones. Deniq; uſus ejaculatoriorum actuum. vg. fac mecum ſignum in bonum, ut videant qui oderunt me Pſ. 85. Bonū eſt quia humiliaſti me, ut diſcam juſtificationes tuas Pſ. 118. Adjutor meꝰ es tu, ne derelinquas me Pſ. 26. Tuus ſum ego, ſalvum me fac Pſ. 118.

PRAXIS X.

De natura motivis & medijs inobedientiæ.

1mun punctum. Inobedientia eſt voluntas recuſans facere ea, quæ à Superioribus præcipiuntur.

Gradus illius tres.

1mus. Nolle mandata exequi, licet exte-

exteriùs cum repugnantia interiori & murmuratione executioni mandentur. 2dus Nolle exequi illa, quæ præcipiuntur, re ipsa. 3tius Damnare Superiores præcipientes, quasi non rectè præcipiant.

Actus interni.

Jussa Superiorum cum interna amaritudine suscipere. Ægrè ferre dispositionem Superiorum quò ad loca & officia. Tristari ob mutationem occupationis, aut studiorum. Examinare præceptum Superiorum, & illud apud se taxare. Rationes varias excogitare, excusationis ab hoc vel illo negotio. Plùs æstimare respectus humanos & commoditates quàm regulas.

Actus externi.

Excusationes varias adferre ne aliquid imponatur à Superiore. Ad pulsũ cãpanæ se non statim conferre. Interpretationes regularũ laxiores adhibere. Simulare se infirmum, debilem & ignarum

gnarum rei faciendæ. In officio suo negligenter se gerere. Cum Superioribus non simpliciter sed politicè agere. Conqueri contra superiores, quòd talia imponant. Contra dispositiones Superioris loqui & agere. Simpliciter negligere jussa superiorum, aut exequi quidem, sed cum exteriori tristitia & repugnantia.

2dum punctum. Motiva inobedientiæ vitandæ.

1mum. Quia de inobedientia dicitur 1. Reg. 15. *quasi peccatum ariolandi est, repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.*

2dum Quia *per inobedientiam* (inquit. Apostolus Rom. 5.) *unius hominis peccatores constituti sunt multi.*

3tium. Quia inobedientiam DEUS graviter punivit in multis: in uxore *Loth gen.* 19. *v.* 26. *In Dathan & Abyron*, qui eò quòd non obtemperarent *Moysi*, terrâ absorpti sunt. *Num.* 16.

v. 32.

v. 32. In Propheta à Leone discerpto, quod contra mandatum DEI deflexerit ad alium Prophetam, licet seductꝰ. 3. Reg. 13. v. 24. In Jona devorato à Pisce Jon. cap: 2. v. 1. & in alijs similibꝰ.

3tium punctum. Media extirpandi hujus vitij.

1mum Assvescere in minimis abnegare propriam voluntatem, conformãdo illam Divinæ & superiorum, deinde captivando intellectum juxta Apostolum.

2dum Revocare sibi in memoriam quantoperè *S. P. Ignatius* inobedientiam punivit: cum *P. Antonium Marignum* magnæ authoritatis virum è Societate dimisit, qui non servavit modum in negotijs præscriptum, licet illa feliciter peregerit. Reliqua vide de obedientia.

PRAXIS XI.

De natura motivis & medijs invidiæ.

1mum

1mum punctum Invidia juxta S. Damasc: est *tristitia* de alienis bonis.

Gradus illius tres.

1mus. De bonis proximi tristari, & de malis lætari. *2dus.* Bona proximi subticere, & mala propalare. *3tius.* Bona proximi vitio vertere, & impedire, ne augeantur.

Actus interni.

Parvi æstimare talenta animi & corporis proximi. Desiderare ut res proximo non bene succedant *vg.* studia, profectus &c. Aversionem habere ab illis, qui sunt observantiores, & eis omnia benè cedunt. Nolle compati proximo in adversis. Gaudere de pænitentijs & humiliatione aliorum. Nolle juvare alium ut illi res benè cedat.

Actus externi.

De bono successu aliorum sermones impedire. Detrahere proximi laudibus, aut illas extenuare. Opera

bona

bona proximi risui exponere. Vitia proximi occulta detegere vel affingere. Falsò accusare proximum. Impedire quocunq; modo promotionem aliorũ, aut demotionem procurare.

2dum punctum. Motiva fugiendæ invidiæ.

1mum. Quia invidia nulli magis nocet, quâm ipsi invido homini, quem velut ærugo & linea consumit.

2dum. Quia invidia juxta S. Basili: est vitium diabolicum: nam sicut diabolus, quamvis certò sciat augendam sibi pœnam, semper tamen contendit ad malum homines inducere & ad damnationem, ita invidus, licet sciat se damna magna incursurum, invidet tamen bona proximo.

3tium [illegible] alia pleraq; vitia singula singulas oppugnant virtutes, at verò invidia multis virtutibus adversatur, & illas quantùm in se est evertere conatur; secundùm *S. Cypr. lib. de zelo*

& livore. Invidia adversatur. *1mo* Legi naturæ præcipienti: quòd tibi nõ vis, alteri ne feceris. *2do* Charitati Christianæ, quæ omnibus etiam inimicis jubet benèfacere & de eorum bonis gaudere. *3tio* Statui religiosorum, qui profitentur omnia se calcasse. *4to* fini Societatis nostræ, qui est gloria DEI major & perfectio proximi. *5to* Communioni SS. militantium & triumphantium in Cælo, qui sua bona optant communicare nobis libenter. *6to* deniq; ipsius DEI infinitæ bonitati, qui nobis liberaliter communicat bona naturæ, gratiæ, & gloriæ.

3tium punctum. Media extirpandi invidiam.

1mum. Investigare causas illius, & eas tollere: causæ autem [illegible] superbia, cupiditas, aversio animi.

2dum. Certò persvadere sibi saluti suæ prodesse carere illis bonis naturæ quæ in aliis videntur, quia DEUS præscien-

ſciendo, quod illis abuſi eſſemus, illa nobis denegavit, quid ergo illa deſideramus & aliis invidemus?

3tium. Curare bona hominis illius promovere, contra quem invidiâ movemur: nunc DEUM precando, ut illa conſervet in eo, nunc illum laudando, & defectus illius excuſando aut reticendo.

4tum. Amor proximi, qualem habuit *P. Joan. Pineda*, qui novos ſemper excogitabat modos ſubveniendi proximis, undè procul ab illo exulabat invidia.

5tum. Uſus actuum: *Confirma hoc DEUS, quod operatus es in nobis Pſ.* 67. *Da mihi Domine, ut te amem & ſufficit. Utinam te omnes agnoſcant, & tibi ſoli ſerviant. Benedicite omnia opera Domini Domino* Dan: 3.

PRAXIS XII.

De natura motivis & medijs iræ.

1*mum punctum.* Ira eſt immoderatus appetitus vindictæ.

Gradus illius præcipui tres ut patet ex *Clim: grad:*8. 1*mus* Excandeſcere interiùs. 2*dus* effundere indignationem exteriùs vultu & verbis. 3*tius* Re ipſa vindictam ſumere nullam ſubmiſſionem admittendo.

Actus interni iræ.

Facilè turbari animo ob minimas offenſiunculas. Fovere motus iræ recordatione injuriarum, & amaritudinem animi. Examinare circumſtãtias offenſionis: quis? quem? cur? & quomodò offenderit? Abalienare voluntatem diminuendo amorem & æſtimationem proximi propter offenſam. Cogitare de vindicta ſub prætextu juſtitiæ, charitatis, aut boni communis. Deſiderare proximo pœnas, ignominiam, & alia mala.

Actus externi.

Profundo ſilentiò conceptam intùs fovere indignationem. In-

Interrogantibus non reſpondere, aut cum diſplicentia. Prorumpere in verba querulosa, detractoria, & contumeliosa. Sub externis ſignis lenitatis magis ſuam & proximi iram accendere. Avertere oculos, aut torvè offendentem intueri. Nolle aures præbere loquenti ex indignatione. Sequeſtrare ſe à proximo, & ejus conſortium fugere. Cibum ad menſam nolle ſumere, & operam proximi contemnere. Ob denegatum aliquid ſibi à superiore, nil amplius petere. Diſcordias inter offendentem & alios ſeminare. Iraſci DEO & alijs creaturis ob malum ſucceſſum rerum.

2dum punctũ. Motiva iræ frænandæ.

1mum: Quia ira multa mala affert; facit enim ſenſibus excidere, mentem & omnes affectus perturbat, ac omni humanitate exuit, deniq; *S. Chriſoſtomus* ait, *novi multos ex ira morbos incurriſſe. & febres.*

2dum. Quia ira difficulter curatur eò, quòd iracundi sæpè justas causas iracundiæ prætendunt, nec hujus vitij malitiam facilè advertunt, & putant se justè irasci.

3tium. Quia mala, propter quæ irascimur, non minuũtur, sed augẽtur.

3tiũ punctũ. Media sedandi iram.

1mum. Vitare & tollere causas, propter quas solemus irasci. Porrò causæ aliquæ sunt ex nobis, aliquæ ex proximis, aliæ deniq; ex ipsis negotijs: Ex parte nostra est amor proprius vel cupiditas, cum vel impedimur ne assequamur id, quòd desideramus, vel retinemus id, quod amamus; pro his causis tollendis, valet contemptus bonorum, commodorum, & voluptatis, persvadendo sibi omnia hæc esse vanitatem & cruciatum conscientiæ. Ex parte aliorum, quibus cum vivimus, solet nobis suppeditari iræ materia: cum videntur nobis aliqui varijs def-

fecti-

fectibus esse obnoxij, ideo irascimur illis, contra quod hæc sunt remedia: 1mum. Persvadere nobis debemus, quòd de alienis culpis non judicabimur. 2dum. Quia multa videntur nobis esse mala, quæ in se, aut ratione aliquarum circumstantiarum sunt bona. 3tiũ Compatiẽdũ potiùs est fragilitati. 4tum. Quia nos quoq; nostra habemus mala. Altera causa irascendi ex parte proximorum: cùm aliquos cernimus ex natura morosos, asperos, & iracundos; tales ut pueri ægroti à matribus tolerandi sunt, sicut nos ipsi nobiscum agi optaremus. Deniq; cum non nullos experti sumus tales, quod illis nihil est amabile, sed omnia inepta, incomposita, intempestiva; contra tales, aut pectus patientiâ armãdum est, juxta doctrinam S. P. N. IGNATIJ, aut si diffidamus nobis, dextrè occasio vitanda est, ad interrogata tamen illorum, respondendum non durè, cum

responsio mollis frangat iram. Ex parte negotiorum solemus irasci, cum nobis non juxta mẽtem cedunt, quod ut evitare possimus, curanda sunt hæc: 1*mo*. Diligẽtia proportionata cuivis operi adhibenda. 2*do*. In omnibus ad vitandam confusionem servandꝰ ordo. 3*tio*. Non differenda opera cum statim fieri possint. 4*to*. Persvadendum sibi omnia à Divina Providentia evenire etiam quæ nobis videntur esse mala.

2*dum medium*. Proponit *S. Ambr. off. lib.* 1. *cap.* 21. Statuere firmo animo omnem iram, quæ rationem prævenit, vitare; quodsi in animo orta fuerit, statim compescere illam, jam verò si non statim fuerit compressa, cavendum nè diutiùs foveatur, sed penitùs extirpetur per opera charitatis & depræcationis, quando potest fieri.

3*tium*. Exemplum *P. Lud. de Ponte*; qui etsi naturâ cholericus esset, nunquam tamen irasci visus est; undè in dispu-

disputatione etiamsi decies ab illo defendens, aut præsidens peteret, ut audiret, audiebat etiam per mediam horam non interrumpendo: Ad hanc autem moderationem pervenit per meditationem & actꝰ usurpatos mansvetudinis.

4tum. Usus actuum ejaculatoriorũ: Da ut non peream propter imminentes tenebras nec faciem meam operiat caligo *Job:23.v.17.* Expecta Dominum, viriliter age & confortetur cor tuum, & sustine Dominum *Ps.26. v.14.* Imple splendoribus animam meam, & ossa mea liberabis *Isa. 58. v.11.*

PRAXIS XIII.

De natura, motivis, & medijs Judicij temerarij.

1mum punctum. Judicium temerariũ juxta *S.Thom.2.2.q.60. art.2.* est, cum aliquis judicat de his, quæ sunt dubia

vel occulta propter aliquas leves conjecturas.

Gradus judicij temerarij tres.

1*mus est*: Præbere aures & facilè credere censurantibus vitam alienam. 2*dus*. Volvere mente ea, quæ vel ipsi vidimus, vel audivimus de vita aliorũ. 3*tius*. Concludere apud se in mente, damnando proximum hujus vel illius vitij è sola suspicione.

Actus judicij temerarij.

Intentionem proximi damnare. Ex studio virtutis condemnare aliquem vitij. *vg*. Si quis studet humilitati & orationi, judicare illum hypocritam, si patientiæ; timidum, si justitiæ; impatientem, si simplicitati; fatuum, si prudentiæ; malitiosum, si maturitati & compunctioni; melancholicum, si jucunditati; dissolutum, si silentio; dissimulatorem &c. Ex complexione inferre hunc esse talem vel talem peccatorem. Ex gestu corporis intentionē

mentis

mentis scrutari. Ex levi causa suspicari proximum contra se aliquid moliri. Opera indiferentia aliorum in malam partem vertere.

2dum punctum. Motiva vitandi temeraria judicia.

1mum est prohibitio Christi Domini *Matt:* 7. *Nolite judicare, ut non judicemini. Jac:* 4. *Tu autem quis es, qui judicas proximum*; hinc in judicando facile erramus & peccamus.

2dum. Quia judicium temerarium multa damna adfert: *1mo* enim expugnat charitatem; *præ omnibus* (inquit Aug:) *cavenda est suspicio, quia est amicitiæ venenum*, Et S. Bon. *Occulta pestis, sed gravissima quæ DEUM fugat, & charitatem lacerat. 2do.* Ex temerario judicio sequitur contemptus, detractiones, aversiones, & similia vitia. *3tio.* Quia tales vendicant sibi jurisdictionem Christi Domini Judicis, quos Apostolus 1. *ad Cor.* 5. dehorta-

tur: *Nolite ante tempus judicare donec veniat Dominus.*

3tium. Quia temerè judicantes DEUS graviter punit;sic *Michol* levitatis judicans *Davidem*, sterilitatem perpetuam incurrit 2. *Reg.* 6.

3tium punctum. Media extirpandi judicium temerarium.

1mum. Radices, ex quibus nascuntur temeraria judicia evellere, sunt autem hæ: *1ma* Superbia,quæ (juxtá *S. Bonav.*) *vexat illos, qui se pro spiritualibus habent, & alios volunt reformare*; hæc radix evelli potest per humilitatem, quæ docet claudere oculos ad alienos defect9,& aperire ad proprios, ut sciamus, quid nobis desit. *2da* Radix indicatur à *S. Thom:* scilicet cor pravum, cum quis qualibus ipse est obnoxius imperfectionibus, talibus alios esse subjectos putat & judicat.Ad evellendam hanc radicẽ medium porrigit *S.Bern. serm.*40.*in Cant.* omnia

nimirum

nimirum in bonam partem interpretari; *excusa* inquit *intentionem, puta casum &c.* *3tia* radix est aversio animi; omnia enim etiam bona in illo displicent, quem odio habemus. Deindè cum tot imperfectiones tuas DEUS tolerat, cur tu pauciores in proximo non feras?

2dum. Diligenter custodire oculos & aures â curiositate morum alienorum: *cave* inquit *Bern. alienæ conversationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius judex.*

3tium. Habere præ oculis illud Christi Domini dictum: *quid ad te? tu me sequere*; siquidem quilibet onus suum portabit. *Rom:* 14. *Tu quis es qui judicas alienum servum? Domino suo stat aut cadit.* Et *Galat*· 6. *qui stat videat ne cadat.* Ideo DEUS Pater, S. Catharinam Senensem reprehendit, qua de re ipsa sic ait *Dialog: cap:* 108. *Tradidisti mihi medicinam, contra quandam occultam ægritu-*

gritudinem, quam ignorabam, nec illam agnoſcebam, inſtruendo me, ne ullatenus judicare ego præſumam ullam rationalem creaturam, & præcipuè ſervos tuos.

4tum. Uſus actuum ejaculatoriorũ: Non intres in judicium cum ſervo tuo Domine. *Pſ.*142. Quis ego ſum Domine ut judicem ſervum tuum. O quam multa abyſſus judiciorum tuorum Domine.

PRAXIS XIV.

De natura, motivis, & medijs lingvæ abuſus.

1mum punctum. Lingvæ abuſus eſt cum loquimur ea, quæ non expedit, aut etiam obſunt alicui.

Gradus Lingvæ abuſus tres.

1mus eſt, loqui bona quidem in ſe, ſed non ſuo tempore, loco &c. *2dus* loqui otioſa. *3tius* Pernitioſa.

Actus Lingvæ abuſus.

Extra

Extra tempora recreationis aut post signum datum pro fine illius loqui. Tædij levandi gratiâ adire locum alterius ad colloquendum. Uti longiori sermone in his, quæ paucioribus poterant expediri. Asseverare dubia pro certis, adulari insinuando se in gratiam aliorum. Mentiri iocosè aut officiosè licet sine damno alterius. Loqui æquivocè, ironicè, affectatè, præcipitanter, perturbaté, clamosè. Spargere rumores sæculares, & eos inquirere. Censurare & irridere dicta factaq; aliorum. Perstringere, murmurare, retrahere à bono, accusare & calumniari proximum.

2dum punctum. Motiva frænandi lingvam.

1mum. Continet damna ex abusu linguæ, quia scilicet maculat animam peccato. Causat ariditates. Impedit devotionem. Extingvit spiritum. Lædit charitatem.

2dum. Complectitur commoda frænatæ lingvæ; nam mentem elevat ad DEUM. Conciliat pacem animi, custodit virtutes. Tegit stultitiam Conciliat reverentiam.

3tium punctum. Media comprimendi lingvam.

1mum est: abstinere aliquo tempore etiam à licitis colloquijs; deniq; præmeditatè loqui, & tam in loquendo, quàm in silendo habere rationem circumstantiarum temporis, loci, modi, personarum juxta doctrinam Spiritus S. *Eccl*: 28. *v.* 29. Verbis tuis facito stateram, & frænos ori tuo rectos.

2dum. Assvescere loqui ea, quæ SS. PP. religioso commendant: *vg.* frequenter DEO gratias agere, laus DEO, sit DEUS benedictus, propter DEUM hæc faciam, patiar, tacebo &c.

Quid ad te? attende tibi ipsi.

3tium. Diligenter custodire lingvam, uti fecit *P. Didacus Martinez*,

qui

qui nunquam de ullo questus est, nũquam de ullo directè vel indirectè dixit, quod quempiam posset offendere, & in simili materia, ac si lingvâ & ore careret, semper tacebat, præsertim cum de superioribus sermo esset, & cum ipse vexaretur, instar muti non se excusabat.

4tum. Usus actuum. Pone Domine custodiam ori meo. *Ps.* 140. Domine labia mea aperies. *Ps* 50. DEUS in adjutorium meum intende. *Ps.* 69.

PRAXIS XV.

De natura, motivis, & medijs mendacij.

1mum punctum. Mendacium est, cûm quis aliud in corde, aliud in ore habet.

Gradus illi9 tres assignantur à S. Thom. *1mus* Mentiri jocosè. *2dus* Officiosè. *3tius* Perniciosè. *S. Doroth:* Gradus

menda-

mendacij hos aſſignat: 1*mum* cum quis animo. 2*dum* Verbo mentitur. 3*tium* Cum in vitam ſuam mendax eſt: Qui mentitur animo, is eſt, qui facilè quaſcunq; ſuſpiciones admittit; *vg.* cum fratres viderit colloquentes, ſuſpicatur ne de ſe loquantur. Sermone mendax eſt, cum torpeſcens ad vigilias nocturnas ſurgere; febrim inquit paſſus ſum, & vertiginẽ, caput dolebat, ſtomachi tormina ſuſtinui: & decies mentitus, ne unicam pœnitentiam ageret. Mentitur autem in vitam ſuam, cum intemperans & guloſus continentiam ſimulat &c.

Actus mendacij.

Laudare alios adulando ultra id, quod de illis ſentitur. In recreatione effingere aliquid, ut cæteri rideant. Nimijs uti auxeſibus in relatione rerum. Rationes falſas ad excuſationem ſui adferre. Deferre alios falsò. Jactare ſe de his, quæ quis non habet vel

non

non fecit. Ironicè loqui. Ostendere se esse devotum, cùm devotione careat.

2dum punctum. Motiva vitandi mendacij.

1mum. Quia *Prov:* 6. dicitur: sex sunt, quæ odit Dominus; oculos sublimes, lingvam mendacem. Et *Sap: cap:* 1. *v.* 11. Os quod mentitur occidit animam. Undè Theologi & SS.PP. docent etiam pro totius mundi conservanda salute non licere vel unum mendacium dicere.

2dum. Authoritas Christi Domini *Matt:* 5. Sit sermo vester, est est, non non, Et *S. Joannes* auctorem mendacij, diabolum esse docet. Ideo *S. Bona:* sermo inquit veridicus & purus sit. *S. P. Ignatius* raro & vix unquam superlativis nominibus, quibus subindè plus justò res adtolli solent, utebatur, sed sua sincerè & simpliciter sine ullis exaggerationibus referebat.

3tium.

3tium. Quia mendacium valdè dedecet religiosum, etiamsi jocosum sit aut officiosum, & authoritatem illius minuit. Undè *Bernardus lib: 2. ad Eugen:* in ore sæcularium nugæ, sunt nugæ, in ore Sacerdotis & religiosi blasphemiæ, consecrasti os tuum Evangelio, talibus jam aperire illicitũ, assvescere sacrilegium est.

3tium punctum. Media vitandi mendacium.

1mum. Propositum facere vitandi omnem simulationem & dolum etiam officiosum aut jocosum juxta doctrinam *Apli:* 1. *Pet.* 2. deponentes omnem malitiam & omnem dolum, & simulationes, & invidias & omnes detractiones, sicut modo geniti infantes, rationabilè sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem.

2dum. Frequenter recogitare quod mendax DEO & hominibus sit odibilis & contemptibilis, ac omni fide,

etiam

etiam cum vera dicit, indignus juxta illud *Hier:* antiquus ſermo eſt: mendaces faciunt, ut nec vera dicentibus credatur.

3*tium*. Amare ſinceritatem exemplo *P. Leo: Leſſij*, qui ita candoris erat amans, ut mendacij ipſam umbram deteſtaretur, undè nunquam ambiguò reſtrictòq; modo loquebatur, ut ſua tegeret. Et *P Jul: Mancinellus* ita abhorruit à mendacio, ut per totam vitam, niſi ſemel puer decennis in illud inciderit, idq; leve & nulli noxium.

4*tum*. Uſus actuum. Perdes omnes qui loquuntur mendacium: *Pſ*. 5. Vanitatem & verba mendacij longe fac à me. *Prov.* 30. Vœ duplici corde & labijs ſceleſtis *Eccl:* 2. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo &c. *Pſ*. 14.

PRAXIS XVI.

De natura, motivis, & medijs murmurationis.

1mum punctum. Murmuratio eſt querela cum quadam impatientia contra DEUM vel ejus miniſtros.

Gradus murmurationis tres.

1mus. Indignè ferre juſſa superiorũ, defectum in victu, veſtitu, loco, aut quòd alijs poſtponaris. *2dus.* Judicare temerè superiores quod tecum nõ ut par eſt procedant. *3tius* Id ipſum, quod intus fovebatur, oſtendere exterius loquendo contra superiores.

Actus murmurationis.

Damnare superiores parcitatis, ſeveritatis, impatientiæ & indiſcretionis. Conqueri de cibo, potu, habitatione, &c. Dicere coram aliis, quòd nulla tui ratio à superioribus habeatur. Arguere superiores, quòd alios

meliùs

meliùs foveant. Vituperare etiam indirectè superiorum regimen. Taxare dispositiones eorum tam de se, quàm de alijs factas. Abjectè de illis loqui, & dicta factaq; eorum in malam partem interpretari.

2dum punctum. Motiva vitandi murmurationem.

1mum. Quia Sacra Scriptura illam prohibet *Sap.* 1. Custodite vos à murmuratione. 1. *Cor:* 10. Neq; murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt & perierunt ab exterminatore.

2dum. Quia qui murmurant contra superiores, murmurant contra DEUM graviter hoc vitium punientem; non contra nos est (inquit *Moyses* Exod. 16.) murmur vestrum sed contra DEUM. *Num:* 14 Usquequò multitudo pessima murmurat contra me (inquit DEUS) Ideo *Dathan & Abyron* vivos terra absorpsit. Core igne absumptus.

sumptus. Igniti serpentes populum murmurantem peremerunt.

3tium. Ex parte ipsius religiosi murmurantis, tum quia religiosus murmurans, similis est idolo vel statuæ uxoris *Loth*, quæ hominis quidem præfert figuram, cum in re non sit homo, sic ille habitu ostendit se esse religiosum, revera tamen non est. Tum quia est ad instar monstri; an non monstrum est esse mortuum, & tamen loqui? abnegatam vitam profiteri, & tamen in omnibus suis sensualitatibus satisfacere conari.

3tium punctum. Media extirpandæ murmurationis.

1mum. Radices ex quibus crescit, evellere; sunt autem odium, invidia, cupiditas, superbia. ...ibi hæc

2dum. Certò persvade... quæ nobis motria: *1mo* quòd o... ntur à DEO proveniant. lesta esse vi... *2do* Quod Providentia DEI hæc faciat ad

ad majus nostrum bonum. *3tio.* Quod DEUS ex amore nobis hæc immittat, quos enim diligit, hos corrigit.

3tium. Revocare in mentem quomodò S. P Ignatius hoc vitium puniverit; cum P. Franc: Marinum Philosophiæ Professorem Romæ dimiserit propter murmurationem,& censurationem ordinationum superiorum.

4tum. Usus ejaculatoriorum. Da ut custodiam vias meas ut non delinquam in lingva mea *Ps:* 38. Non declinet cor meum in verba malitiæ *Ps:* 140. Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum,ut non cadam ab ipso. *Eccl:* 22. Fac Domine ut lingva mea non perdat me. *Ibid:*

PRAXIS XIII.

De natura, motivis, & mediis Negligentiæ.

1mum punctum. Negligentia est torpor animi, quo quis minus accuratus redditur in exequendis actionibus.

Gradus ejus sunt tres.

1mus. Est actiones suas expedire sine actuali intentione, attentione, & devotione. *2dus.* non integrè nec cum debitis circumstantijs opera sua facere. *3tius* Omittere non omittenda.

Actus interni.

Ante & in actionibus non curare præsentiam DEI. In actione præsentis operis cogitare de alio, tædio affici in operando. Inter operandum desiderare quàm primum ad aliud

llud opus transire. Velle opus citò finire etiam imperfectè. Non applicare potentias animæ ad præsens opus.

Actus externi.

Tardè se ad opus conferre. Oscitanter & perfunctoriè omnia agere. Labores vitare. Graviora aliis obtrudere. In exercitiis ad DEUM spectantibus irreverenti situ corporis uti. In oratione verba detruncare properando.

2dum punctum. Motiva vitandæ negligentiæ.

1mum. Complectitur damna, quæ incurrunt negligentes religiosi, & quidem. *1mo.* Quia negligentia multas inducit animi anxietates, desolationes, variósq; cruciatus; deindè reddit disciplinam religiosam gravem, causat jacturam gratiæ, & tandem discrimen salutis adfert.

2do. Quia religiosum facit contemptibilem in oculis sæcularium, qui videntes illum degenerem esse à professione sua, & ad ea, quæ contempserat redire, parvi æstimant. *3tio.* Quia illum facit miserrimum, mendicum terrenorum solatiorum, quæ cogitur emendicare à creaturis per sensus, cum nihil illi spirituale sapiat, & sine ullo solatio difficilè est diu permanere.

2dum. Quia religiosus negligens est sepulchrum dealbatum eò, quod exterius gestet habitum sanctitatis, cor verò interius profanum.

3tium Quia religiosus negligens deterioris est conditionis, quàm sæculares eò, quod hi habeant sua solatia etiam licita, à quibus religiosus votis & regulis arcetur; undè sub illis velut sub gravissimo pondere gemit, cum multis sæcularibus ardeat

deat

deat desideriis, quibus satisfacere prohibetur, & ita semper est in continuo bello intestino, quô quid miseriùs?

3tium. punctum. Media tollendi negligentiam.

1mum. Tollere causam illius, quæ est defectus orationis, hæc enim à quibusdam vocatur efficax socordiæ antidotum, securum periculorum asylum, svavissimum anxietatis solatium, maximum langvoris refrigerium.

2dum. Frequenter recogitare, quòd multi propter negligentiam excidant à statu & salute. Unde P. Realinus ante mortem mutata contraria sententia putabat plurimos Christianos damnari ob tres causas: Ob multa malitiosè perpetrata peccata, ob indignam præparationem ad Eucharistiæ sacramentum, ob magnam

negligentiam in rebus salutis.

3*tium*. Usus actuum vidé diligentia.

PRAXIS XVIII.

De natura, moti vis, & mediis Odij.

1*mum punctum*. Odium est aversio animi a re apprehensa ut mala, quam quis conatur à se amovere.

Gradus odij tres.

1*mus* Facilè credere mala de proximo, judicare illum, velle vindictam sumere. 2*dus*. Conceptum malum animum contra proximum signis & verbis exterius prodere. 3*tius*. Re ipsa malum bonis illius honoris, corporis, & animæ inferre.

Actus interni odij.

Intentiones, dicta & facta proximi in malam partem interpretari.

Tri-

Tristari de bono proximi, & mala illi optare. Credere facilè & libenter oblocutionibus. Indignè ferre defectus tam morales, quàm naturales proximi. Parvi æstimare & contemnere. Judicare ineptum ad hæc vel illa officia. Gravatè audire laudes proximi, quem quis odit.

Actus externi.

Siniſtre loqui de proximo talenta & dotes illius carpendo. Defectus ubi non expedit propalare. Voce aut calamo odioſum accuſare. Verbis acrioribus in eum invehi, & nunquam pacificè ei loqui Aſpectum, alloquium & converſationem illius vitare. Externo aliquo geſtu coram aliis exſibilare. Adducere eundem in odium alterius.

2dum punctum. Motiva vitandi odij.

1mum. Quia ab Apoſtolo damna-

tur 1. *Joannis* 3. qui odit fratrem suum homicida est. Recte (inquit Hieron.) cum enim homicidium ex odio sæpè nascatur, quicunq; odit, etiamsi nec dum gladio percusserit animo tamen homicida est.

Et S. Ephr: qui odit fratrem suum, DEUM ipsum odio habet. Et S. Bas: quodsi (ut ait Joannes) DEUS charitas est, sine dubio necesse est diabolum odium esse, ut igitur qui charitatem habet, is DEUM habet, sic, qui odium habet, diabolum in se nutrit.

2dum. Quia, qui odium hebet in corde nec sacramentis uti potest juxta decretum Christi *Math*: 5. Si offers munus tuum ad altare &c. nec orationem dominicam sine mendacio dicere scilicet: dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus &c.

3tium.

3tium. Quia DEUS graviter minatur iis, qui contra proximum fovent odium *Math*: 18. *v*. 35. Sic & Pater meus Cælestis faciet vobis (sicut factum est cum servo suffocante conservum suum) Si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.

3tium. punctum. Media tollendi odij.

3tium. proponit S. Doroth: ut nimirum pro illo ores, aut aliquod beneficium corporale ipsi exhibeas, à quo sentis animi abalienationem.

2dum. Ut eidem charitatis signa ostendas oblata, aut etiam studiò quæsita occasione, tum blandè alloquendo, tum familiariter agendo. *Eccl:* 6. Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos.

3tium. Quoties memoria illatæ tibi injuriæ sese ingerit, statim il-

lam obliterare, injuriam tuam DEO offerre, & actum aliquem Charitatis elicere studeas.

4tum. Exempla superantium odium. P. Leon: Lessius famæ & scriptorum suorum inimicos non tantùm non vindicavit, cum posset, sed etiam excusavit. P. Ogilbeus Mart: hæretico Judici sententiam mortis atrocissimæ contra se ferenti benedixit, & amplectendo illum, dixit ex animo se illi ignoscere. P. Julius Mancinellus magna Charitate & humanitate detractores suæ famæ prosequebatur.

Actus ejaculatorios in Praxi vid: de amo: prop.

PRAXIS XIX.

De natura, motivis, & medijs Otij.

1mum. *punctum.* Otium est vacatio mentis & corporis ab exercitio virtutum orta ex tædio laboris.

Gradus otij sunt tres.

1mus. Multum indulgere sibi sub prætextu sanitatis commoditates sectando. 2dus. Tædio affici in laboribus. 3tius. nihil prorsus boni operari tempus fallendo.

Actus interni otij.

Non applicare seriò potentias animæ ad materiam meditationis. Existimare multum sibi obesse labores. Aspirare semper ad quietem. Timere labores & dispositionem de se ad occupationes laboriosas. Desiderare levia officia absq; ulla molestia.

Actus externi.

Subterfugere occasiones laborum. Excusare se à negotiis difficilioribus, Occupare se rebus ina-

nibus. Discurrere per domum fallendi temporis causâ. Adire aliorum cubicula ex tædio propter confabulationes. Ordinarias actiones segniter peragere, detruncare, aut omittere. Aliorum mores neglecto se ipso observare.

2dum. punctum. Motiva vitandi otij.

1mum. Quia otium multa mala affert: diabolo enim & ejus tentationibus portam aperit, unde vocatur pulvinar diaboli. Vitiorum est origo *Eccl:* 33. multam malitiam docuit otiositas, quod patet in populo Israelitico *Exod:* 32. in absentia Moysis, & in alijs multis otiosis. Deniq; vitium hoc hominem reddit ineptum ad bonum.

2dum. Quia à sacra scriptura damnatur *Math:* 7. Omnis arbor, quæ

non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.

3tium. Tenet se ex parte temporis, nimirum quia est breve respectu ætarnitatis. *2do.* Quia juxta *S. Greg: Naſ:* tempus hujus vitæ est mercatus, cujus post mortem non conceditur facultas. *3tio.* Quia omnium rerum tempus est pretiosissimum, & irrecuperabile de quo *S. Bern:* Transeunt dies, menses, Anni salutis & nemo recogitat, nemo sibi perire diem, nunquam rediturum causatur.

3tium: punctum. Media vitandi otij.

1mum. Frequenter sibi ponere ob oculos hæc; *1mo.* quia nihil in mundo otio vacat Joan: 5. Pater meus usq; modo operatur, & ego operor. Angeli omnes sunt administratorij spiritûs, in ministerium missi *Hæbr:* 1. *v.* 14. Ecce enim sol inquit *Aug:*

serm:

serm:16. ad fratr:in erem;) cursum anni perficit, luna etiam mensibus & vicissitudinibus discurrit & cæteræ stellæ, quatuor elementa, ignis, terra, aër, aqua, *&c.* Quodsi alicui ex damnatis vel unica hora concederetur, o! quàm fructuosè illam impenderet!

2dum. Determinare sibi certum tempus pro ordinarijs actionibus expediendis, & postea singulis hebdomadis, aut mensibus rationem a se exigere, introspiciendo quomodo tempus transegeris? an fructuosioribus occupationibus illud impendere potueris.

3tium. Propositum stabile utendi fructuosè tempore, exemplo P. Thom: Sanchez exacti observatoris temporis, quod ne sibi otio elaberetur, propositum tale fecit: Vita mea (inquit) similis esse debet mercatori

cupi-

cupido, ac primò negotiatio mea versari debet circa Charitatem, patientiam, mortificationem, &c. Item P. *Bern:* Colnagus, qui ita exactus erat temporis observator, ut totum transegerit, nunc orando, nunc confessiones audiendo, nunc piis colloquiis ac concionibus proximum juvando, nunc legendo, colloquia otiosa & visitationes vitando.

4tum. Usus actuum ejaculatoriorum. Ecce nunc est tempus acceptabile, nunc dies salutis 2. *Cor:* 6 Domine fac me jam de somno surgere. Da mihi Domine ut quodcunq; manus mea possit, constanter operetur. *Eccl:* 9. Adiuva me Domine ut tempus perditum redimere possim.

PRAXIS XX.

De natura motivis & medijs Peccati mortalis.

1*mum. punctum* Peccatum mortale est actio libera ita rationi ac legi Divinæ contraria, ut vitam spiritualem eripiat, & mortem afferat animæ peccanti, cujus mortis vi homo â DEO regnoq; cælesti separatur, & supplicijs æternis dignus efficitur.

Gradus, quibus ad mortale peccatum pervenitur præcipui tres.

1*mus.* Est, suggestiones malas non statim reijcere sed illas auscultare. 2*dus.* Delectationem obiter ex re suggesta percipere. 3*tius.* Consensum quacunq; ratione præbere, sivè sequatur opus malum externum, sive non sequatur, quod intelligendum est de

materia sufficienti ad peccatum mortale.

Actus peccati mortalis.

Cogitare advertenter de re periculosa mortaliter peccandi. Præbere consensum in solam delectationem rei mortalis, Consentire ad actum mortaliter malum, licet executioni non mandetur. Alij actus tam interni quàm externi facilè colligi possunt, ex varijs peccatorum speciebus.

2dum. punctum. Motiva peccati mortalis vitandi.

1mum Turpitudo peccati mortalis: quid enim pulchrius fuit Angelo? quem peccatum turpissimum effecit, quid speciosius Filio DEI? quem tamen peccata nostra eò deduxerunt, ut propheta Isaias à longe Eum aspiciens dixerit: & nos reputavimus. eum quasi leprosum.

2dum.

2dum. Malitia peccati mortalis: nam nocet animæ potentias ejus debilitando, corpori, morbos inducendo, toti homini, auferendo illi DEUM, gratiam ejus, virtutes, dona Spiritus S. merita omnia, jus ad cælum & reddendo illum indignum omni favore Divino.

3tium. Pæna peccati mortalis ut videre est in Angelis apostatis, in primis nostris parentibus, in submersis diluvio, in absumptis igne sulphureo, in deletis innumeris hominibus peste, fame, gladio, *&c.*, deniq; in damnatis ad gehennam etiam propter unicum peccatum mortale sola cogitatione commissum,

3tium. punctum: Media vitandi peccata mortalia.

1mum. Vitare diligenter occasiones peccati præcipuè, quæ solent oriri ex incauta conversatione, negotijs, otio *&c.*

2dum.

2dum. Custodia sensuum corporis & potentiarum animæ, pro qua re tres custodes assignat S. Bern: scilicet memoriæ, ponatur ad portam ejus janitor, cujus nomen est recordatio propriæ professionis, ut cum turpibus cogitationibus senserit animus se pullari, increpando dicat sibi, tune audes hæc cogitare? qui clericus es, qui sacerdos es, qui monachus es? &c. Voluntati, in qua solent manere desideria, statuatur Ostiarius, qui vocatur recordatio cælestis patriæ. Intellectui talis & tam ferox adhibendus est custos, qui nemini parcat, sed quicunq; hostis sive clam sive palam ingredi præsumpserit, procul eum arceat, & hic sit recordatio gehennæ.

3tium. medium Resistere primis peccati initijs; diabolus (inquit *Hier:*) serpens lubricus est cujus

capi-

capiti, hoc est primæ suggestioni si non resistatur, non est dubitandum, quin in penetrale cordis furtim illabatur.

4*tum*. est præsentia DEI, timor ejusdem atq; frequens recursus per orationem ad illum; ad beatam Virginem Mariam & SS. Patronos. *Math*: 8. Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem. Deniq; usus actuum ejaculatoriorum. Ne simul trahas me cum pecatoribus, & cum operantibus iniquitatem ne perdas me *Ps*: 27. Domine salva me à descendentibus in lacum. *Ps*: 29. Cor mundum crea in me DEUS & spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne projjcias me à facie tua et spiritum Sanctum tuum ne auferas à me *Ps*: 50. Nisi quia Dominus adjuvit me: pauld minus habitasset in inferno anima mea. *Ps*: 93.

PRAXIS XXI.

De natura, motivis, & medijs Peccati venialis.

1*mum punctum* Peccatum veniale est actio libera ita rationi ac l gi Divinæ contraria, ut ob suam parvitatem non tollat gratiam DEI, sed solùm fervorem imminuat.

Gradus Venialium. S. Cirill: supra verba Apli: 1. *Cor:* 3. ligna, fænum, stipula, tres assignat, 1*mus*. est eorum, qui peccant ex fragilitate humana, & ignorantia ut est levis in oratione distractio, aliqua complacentia &c. talia ab Apostolo assimilantur stipulæ, 2*dus* Eorum qui deliberatè, scienter, & quasi ex malitia delinqvunt, *vg*. per mendacia officiosa, otiosos sermones, cachinnátiones, curiositates &c; talia fæno compa-

ran-

rantur. 3tius Eorum magis periculosus, qui solent committere ea, quæ sunt ex genere suo quidem mortalia sed ob carentiam pleni ac deliberati consensûs, vel propter materiæ parvitatem non sunt mortalia; uti est detractio in re levi, appetitus vindictæ negligenter repulsus, cogitatio turpis remissè abjecta &c. quæ Apostolus ligno comparavit, quod longiori mora ardet, quàm fænum & stipula. Hunc ultimum gradum conscendentes valdè sunt periculosi, quia facilè in mortalia prolabuntur.

Actus tam interni, quàm externi sunt varij pro varietate peccatorum venialium & specierum.

2dum. punctum. Motiva vitandi peccata venialia.

1mum. Quia peccata venialia sternunt viam ad mortalia, quod tribus

bus modis docet fieri *S. Thom:* 1*mo: Dispositivè*, sicut modicus calor disponit ad majorem, furtum exiguum ad majus *&c.* 2*do. Consecutivè vg.* hic homo non cessat multiplicare venialia peccata, ergo prolabetur in mortalia juxta illud *Eccl:* 19. qui spernit modica, paulatim decidet, 3*tio Remotivè* Quia peccata venialia removent subiectionem DEO debitam, & timorem, debilitant actibus contrarijs habitus bonos, ac demerentur specialia auxilia, sine quibus homo nequit resistere tentationibus gravibus.

2*dum.* Quia peccata venialia multorum malorum sunt causa: nam animam maculant, retardant cursum perfectionis, consvetudinem malam invehunt, & licentiosam libertatem, desolationem animi & scrupulos pariunt.

Otium

3tium. Quia DEUS graviter etiam leviora peccata punit, tum in hac vita, ut patet in Heli Sacerdote 1. *Reg:* 4. in Anania & Saphira, in Osa arcam sublevante 2. *Reg:* 6. In Moyse hæsitante de aqua Num: 20. Tum in altera vita per pœnas Purgatorij gravissimas, easq; diuturnas, ut videre est apud Vincentium, qui scribit quandam animam pro uno peccato veniali integro anno detentam in purgatorio fuisse.

3tium punctum. Media vitandi peccata venialia.

1mum. est obturare fontes ex quibus peccata venialia plerumq; solent emanare, sunt autem inter alios præcipui isti *1mus.* respectus humanus, propter quem, sæpè facimus aut, omittimus ea, quæ DEUS, ratio & regula vetat.

2dus. Invidia & aversio animi.

3tius. Amor commoditatum & honoris. Poterunt autem prædicti fontes exſiccari per examen particulare, & propoſita meditationum quotidianarum.

2dum Propoſitum nihil præcipitanter faciendi, dicendi & agendi, ſed præmeditatè, nam ex inconſidertione multa peccata venialia ſolent derivari. *3tium.* Confiteri exactè peccata venialia omnia, Secundum ſuas ſpecies, & numerum, non verò in genere & palliando ea, quæ pudorem incutiunt, & ubi advertes te labi ſæpiùs in aliqua peccata venialia adhibe ſtatim media ad curationem illorum ab Ecclesia & SS. PP. approbata, uti eſt confeſſio ſacramentalis auditio vel celebratio ſacri, exercitium alicuius virtutis *vg.* Contritionis & amoris DEI ſuper omnia, aſperſio aquâ benedictâ cum dolore.

4tum. Ponere ſibi ob oculos exem-

pla eorum, qui peccata venialia diligentiſſimè curabant evitare, & ſeverè ea in ſe puniebant; qualis erat S. P. Ignatius, ut patet ex diario illius viſionum, dum ſcriberet conſtitutiones, ubi habetur, quòd ob quandam irreverentiam ſemel verbis in oratione commiſſam, valdè fleverit, & aliquot diebus ſacrum celebrare auſus non fuerit. Confeſſarius S Xaverij teſtis juratus aſſeruit, quòd audiens illius confeſſiones per totam hyemem nullum peccatum veniale in eo invenerit. Alphonſus Ruiz confeſſarius S. Stanislai Koſtka faſſus eſt jurejurando coram notario Apoſtolico, quod adhuc in ſæculo valdè pauca venialia commiſerit. Joannes Berchmans in *Societ*. exiſtens nunquam ullum veniale admiſit voluntariè, nec regulam ullam violavit, ut habetur in eius vita. Alphonſus Rodriqvez petebat ſingulis horis à ſuis Angelis,
ut

ut se ab omni peccato custodirent. Deniq; usus actuum: Confige Domine timore tuo carnes meas. *Psal:* 118. Non intres in judicium cum servo tuo. Verè judicia tua abyssus multa. Delicta juventutis & ignorantias meas, ne memineris. Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit. *Psal:* 129.

PRAXIS XXII.

De natura, motivis, & medijs Pertinaciæ.

1*mum punctum.* Pertinacia est, cum quis ita mordicùs proprio judicio inhærescit, ut nullius consilium & persvasionem in deliberando admittat.

Gradus pertinaciæ tres.

1*mus.* Non acquiescere prudentiorum consilio, 2*dus.* Præferre unicum proprium judicium plurium æquali-

um judicio bono. *3tius.* Contemnere etiam ipsorum superiorum suorum judicium & voluntatem.

Actus interni.

Æstimare se prudentissimum omnium. Nolle interrogare alios in rebus consilio egentibus. Velle alios in suam sententiam trahere. Consilia aliorum tacitè apud se spernere.

Actus externi.

Contendere in familiari colloquio. In disputationibus suam sententiam mordicùs tenere. Rationes aliorum licet convincentes non admittere. Consilio spiritualium virorum non acquiescere.

2dum punctum. Motiva frænandi pertinaciam.

1mum. Quia id S. scriptura requirit prov: 3. ne innitaris prudentiæ tuæ, ne sis sapiens apud temetipsum. *Item Eccl: 3. ver. 2.* Judicium Patris audite filij; & sic facite, ut salvi sitis.

2dum.

2dum. Quia nimirum suo judicio fidentes incidunt in laqueos diaboli: Nullo alio vitio (inquit *Caff:Coll:2. c. 11.*) Tam præcipitem diabolus Monachum pertrahit, ac perducit ad mortem, quàm cum eum neglectis consilijs seniorum, suo judicio persvaserit, definitioniq; confidere. Cujus rei adducit exemplum de Herone in puteum se præcipitante, ideò S. P. Ignatius homines durioris ac pertinacis capitis noluit admittere ad *Societatem. P. 16. cap. 3.*

3tium Quia pertinaces intolerabiles sunt inter religiosos, mutuam Charitatem lædunt, se ipsos inquietos & alios offensos reddunt.

3tium punctum. Media vitandæ pertinaciæ.

1mum. Assvescere proprium judicium juxta doctrinam S. Patris subdere alijs præcipuè superioribus revocando sibi in memoriam votum o-

bedientiæ, proinde nulli contradicere.

2dum. Ponere ſibi ob oculos exempla S. S; qui hâc in re excelluêre, uti erat S. Fran: Xav: qui licet in Indijs fuerit nuntius Apoſtolicus, & Provincialis omnium noſtrorum in orientali India a S. Ignatio conſtitutus, tamen ab eodem petijt, ut Româ mitteret ſibi aliquem Patrem, à quo inſtitueretur in rebus ad conſcientiam ſpectantibus.

4tum Uſus ejaculatoriorum.

Notam fac mihi viam in qua ambulem. *Pſ:* 142. Domine quid me vis facere. *Actor:* 9. Non veniat mihi Domine pes ſuperbiæ. *Pſ:* 35. Vias tuas Domine demonſtra mihi &c. DEUS meus volui, & legem tuam in medio cordis mei *Pſal:* 30.

PRA-

PRAXIS XXIII.

De natura, motivis, & mediis Politicismi.

1mum punctum. Politicismus est ratio ficta agendi cum proximo.

Gradus politicismi tres.

1mus est laudare ea, quæ proximus amat, aut vituperare, quæ odit, narrando hoc vel illud de aliquo sæpè cum damno famæ illius, sicut solent politici facere, ut se in gratiam Dominorum suorum insinuent.

2dus. Dicta & facta proximi extollere, ut ipsum in sermone capias, aut aliqua pro commodo tuo temporali secreta excerpas, & circumvenias, sicut fecerunt Pharisæi *Math:* 22. *v.* 16. Magister scimus quia verax es, & viam DEI in veritate doces. *&c.*

3tius. Est velare vitia pallio virtutum, multos inficiendo pestiferis qui-

busdam axiomatibus politicis, universalibus, ex quibus particularia plurima derivantur ad evertenda fundamenta religiosæ perfectionis, qualia sunt illa *1mum axioma omnibus velle placere, & nulli displicere:* ex quo principio politico generali sequuntur particulares actus contrarij regulis & disciplinæ religiosæ, sunt autem hi: committere aut omittere aliquid in gratiam aliorum contra regulam hanc vel illam. Familiaritates angulares quærere. In censurandis moribus alienis familiares juvare. Commodiora illis in victu, vestitu, officio, loco, absq; licentia curare. Effundi ad exteriora desideriô placendi alijs. Sermones longiùs post pulsum, ut eis placeas protrahere. Mala opera collaudare adulando.

2dum axioma semper & ubiq; cuivis religioso habendam esse rationem honoris, Unde derivantur hæc: Officia humi-

humiliora esse dishonori contra: *reg: sum:* 13. Optare & curare præponi alijs, contra *reg: sum:* 42. Non manifestare se superiori ne te diffames contra *reg: sum.* 40. Iniquô animô ferre & murmurare post pænitentiam, putando honorem sibi per eam diminutum contra *reg: sum:* 37.

3tium axioma. Habere curam minimorum esse scrupulos tyronum; ex quo axiomate falso nascuntur hæc: nimirum Novitiorum esse proprium pro minimis rebus facultatem petere. Cubiculum alienum absq; facultate expressa nolle intrare. Ad pulsum campanæ punctualiter loqui cessare. Modestiæ regulam ad literam servare. &c.

2dum punctum. Motiva politicismi eliminandi.

1mum. Quia politicismus reddit religiosum fratribus imo & sæcularibus odibilem, eò, quòd videant ipsum

non satisfacere suæ professioni, & sub veste religiosa hypocriticè mundum gestare, cui jam renunciaverat.

2dum. Quia religiosus politicus miserior est sæculari homine, cum ex una parte iam in hujus, jam in illius gratiam vellet se insinuare commodi alicujus temporalis obtinendi causâ, ex alia verò parte impediatur nunc à superioribus, nunc à regulis, votis & propria conscientia, ideo necesse est, illum scrupulis angi, turbari, & in loco pacis inquietam ducere vitam.

3tium. Quia politicismus non solùm uni religioso nocet, sed toti communitati: unde P. Arn: Cathius Belga policiem sæcularem appellabat pestem Societatis, nam quæ incommoda pestis in civitatibus, hæc in religione policismus affert.

3tium punctum. Media politicismi exterminandi.

1*mum*. Præſcindere occaſiones nimiarum converſationum, ex quibus hic morbus ſolet naſci.

2*dum*. Seriò ſe dare miniſterijs, & occupationibus ſuæ profeſſionis.

3*tium*. Sæpè ſibi ponere ob oculos hæc duo:

1*mum*. Finem vocationis ſuæ, ad quem conſequendum ad Religionem veniſti.

2*dum*. Damna ex politiciſmo provenientia; ex hoc enim fit, ut obedientia, mutua charitas, ſimplicitas Religioſa, devotio, conjunctio cum DEO, amor vocationis, zelus animarum & aliæ virtutes manifeſtè periclitentur. Vide inſtructionem A.R. Patris Claudij Aquavivæ *cap*: 14.

4*tum*. Exempla domeſtica. Uti erat P. Petrus Skarga Polonus, Regni Poloniæ, Stephani & Sigiſmundi Concionator, qui tam in aula, quàm Domi Religioſam ſimplicitatem ac

ſeveritatem, cum omnium etiam Senatorum ædificatione, ita retinuit, ut politiciſmum, tanquam peſtem abhorreret. Undè aulicam vitam pertæſus, appellabat illam ſpecioſum exilium.

ʕtum Uſus ejaculatoriorum.

Libera me Domine, à blandis fictiſq; ſermonibus *Proverbior:* 29. *v.* 5. Sagitta vulnerans lingva eorum, dolum locuta eſt. Jerem: 9. Nonne tu nôſti omnia antequam fierent, & reſpicere ad iniquitatem non potes: *Pſal:* 3. 1. Vani Filij hominum & mendaces in ſtateris, ut decipiant de vanitate in id ipſum *Pſal:* 61. Scutô circumdet me veritas tua; *Pſal:* 90. O quàm brevis laus impiorum, & gaudium hypocritæ, inſtar puncti; *Job:* 20.

PRA-

PRAXIS XXIV.

De natura, motivis, & medijs Præcipitationis.

1mum punctum. Præcipitatio juxta S. Thomam: Est ipsius operationis humanæ â summo rationis lapsus ad imum passionis factus.

Gradus præcipitationis sunt tres.

1mus Nullum finem cogitatis dictis & factis præfigere. *2dus.* Incircumspectè loqui, non servatis circumstantijs, quis, quid, ubi &c. *3tius.* Opera præcipuè alicujus momenti, aggredi non præmeditatè, nec debitis adhibitis consilijs.

Actus interni præcipitationis.

Facilè ex levibus indicijs damnare aliorum imperfectiones In eligendis medijs ad finem consequendum nullum delectum adhibere. In tentationibus aut perturbatione aliqua mentis

anti-

antiqua revocare, & nova ſtatuere propoſita. Facilè omni Spiritui credere. Obligare ſe votô tali, quod poſteà implere nequeas.

Actus externi præcipitationis.

In dubijs judicia prudentiorum ſpernere. Non præmeditatè conſilium dare petenti. Nimis citò in recreatione loqui. Sententiam ferre contra aliquem, rê non benè cognitâ. Facilè promittere, quòd difficultèr præſtare poſſis. Dicere aut facere ea, quorum poſteà pænitet.

2dum punctum. Motiva præcipitationis vitandæ.

1mum. Quia imprudentis eſt, res inconſideratè agere, undè ſe ipſum oſtendit eſſe levem qui, in ſermonibus v. actionibus præceps eſt.

2dum. Quia inconſideratos ſæpè dictorum & factorum pænitet. Ideò monet Spiritus S. *Eccl:* 32. *Fili ſine Conſilio nihil facias, & poſt factum non pænitebis.*

3tium.

3tium. Quia præceps amittit authoritatem, & fidem, apud auditores, & arguitur temeritatis.

3tium punctum. Media curandæ præcipitationis.

1mum. Antè quodlibet opus recurrere ad DEUM, & præmeditari quid, quomodo, & cum quo acturus sis. Ex quo medio ad praxim deducto A R. P. N. Generalis quartus Everardus Mercurianus magnum sibi prudentiæ nomen apud omnes comparavit. Juvat etiam, antè majoris momenti negotia, prudentiores consulere.

2dum. Signa erumpentia passionum moderari; quod monitum S. P. N. Ignatius illis, quos ad agendum cum proximo mittebat, dabat, ut nimirùm actum cum hominibus iracundis, pectus patientiâ obarmarent. Et P. Claudius Aquaviva ind: cap: 6. ubi, inquit impetus ad aliquid agendum impellit, hoc ipso aliqûa morulâ se deti-

neat,

neat, ut assvescat non statim sequi animi impulsus.

3tium Simileter ex S. P. N. Ignatio docente suos Missionarios, ut existimarent omnia dicta & dicenda, ab alijs tam publicè, quàm privatim examinanda in publico.

4tum. Usus Ejaculatoriorum.

Da, ut custodiam vias tuas, ut non delinquam in lingva *Psal:* 38. Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis,& lingva mea perdat me *Eccl:* 22 Deduc me Domine in via Tua *Psal.* 66 DEUS meus illumina tenebras meas *Psal:* 12. Da mihi Domine sedium tuarum assistricem sapientiam: *Sap:* 94.

PRAXIS XXV.

De natura, motivis, & medijs præsumptionis.

1mum punctum. Præsumptio est actus superbiæ, quâ quis aggreditur opus supra facultatem & dignitatem propriam. Reliqua vide: superbia.

PRAXIS XXVI.

De natura, motivis, & medijs proprietatis Religiosorum

1mum. punctum. Proprietas est usus Juris, & usus fructus, possessio & administratio, prout sunt quid juris: ita *Sanchez Tom*: 2. *Mor: Libr*: 7.*cap*: 18. Seu est: arrogatio sui juris in quamcunq; rem, quæ pecuniâ æstimari possit: Sive sit utensilis sive non.

Gradus proprietatis sunt tres.

1mum. Velle habere & uti aliquâ rê, tanquam propriâ, scilicet independenter à voluntate superioris.

2dus. Ægrè ferre, siquid â Superioribus accipiatur ex his, quæ ad usum Religioso dantur. *3tius.* Dare res,

tàm

tàm domeſticis, quàm externis ſinè licentia.

Actus interni proprietatis ſunt.

Deſiderare ea, quæ quis propter Chriſtum jam reliquit. Appetere illa in Religione, quæ nec in Sæculo habere potuit. Timere, ne ſibi *vg.* liber, veſtis hæc &c. auferatur: Vereri ſuas reculas oſtendere Superiori in diſceſſu. Nimium inhærere animô rebus etiam devotionalibus ſuperfluis.

Actus externi proprietatis ſunt.

Diſponere de rebus Religionis, etiam minimis, ſine ſcitu ſuperioris. Acquirere ſine facultate ea, quæ ſpectan ad victum, amictum &c. Commodare vel mutare aliquid domeſticis aut externis. Abſcondere res, ne à Superiore videantur, licet cum facultate habeantur. Inſcribere nomen ſuum in libro. Res ad uſum conceſſas malè tractare. Dicere, liber meus, Veſtis mea &c. Varias rationes afferre-

ne

ne ſibi res quæpiam accipiantur. Diſtribuere pecuniam pro ſuo arbitrio inter pauperes, ab aliquo ſæculari hoc fine datam. Rem ad certum uſum conceſſam, ad alium convertere, *vg.* ex viatico emere devotionalia. Vendicare ſibi rem aliquam ab amico donatam. Habere rem aliquam depoſitam apud amicum pro caſu neceſſitatis, cum licentia etiam recuperandam.

2dum punctum. Motiva extirpandæ proprietatis.

1mum. Quia hoc vitium SS. Patres valdè abominati ſunt. Undè S. *Baſilius* confert Cum furto Judæ S. *Benedictus* apellat vitium nequiſſimum, propter has malitias: *1mo.* Quia eſt violatio voti paupertatis DEO dicatæ *2do.* Quia involvit inobedientiam tum Regulæ, tum conſiliorum, tum ſummorum Pontificum id vetantium. *3tio.* Quia juxta S. *Auguſtinum* includit ſæpè injuſtitiam & furtum. *4to.* Quia

juxta

juxta S. *Basilium*: proprietarium facit etiam sacrilegum. Prorsus, inquit, qui abusus sit (scilicet aliquâ re Religionis) Is tanquam Sacrilegus, qui vero amiserit, tanquam legij author judicatur, cum ommia sint DEO dedicata, & consecrata.

2*dum*, Quia causat valdè noxios effectus, quorum 1*mus* est: Quia proprietarios facit tentationibus pervios, juxta illud: 1. *Thes*: Qui volunt divites fieri, incidunt in laqueos diaboli. 2*dus* Quia multos vocatione spoliat, ut experientia multorum docuit.

3*tius*. Quia omnes virtutes impedit, ne in illis proficiat Religiosus.

3*tium*. Quia pænæ gravissimæ proprietarijs assignatæ: ex quibus 1*ma*. assignatur a concilio Tridentino Ses: 25. cap: 2. Privatio vocis activæ & passivæ. 2*da*. à Pontifice *Benedicto* XII. pro Benedictinis; inhabilitas ad beneficia. 3*tia* à Gregorio IX. propter

Clunia-

Cluniacenses: ex communicatio *4ta.* à Nicolao IV. in Bulla ad cluniacenses: reditus ad Novitiatum. *5ta.* ab Innocentio II. Privatio sepulturæ in loco sacro. Quod etiam fecisse se narrat in dialogis S. Gregorius. *6ta.* Apud Cassianum: expulsio ex Religione Tales in hac vita pænæ proprietariorum. In altera verò propter minores defectus ejusmodi, quales sint: patet ex Crombetio. qui testatur *lib:* 1. *cap:*29. Religiosum quemdam post mortem Socio apparuisse, ac dixisse: Graviter se pati in Purgatorio eo, quòd veteres saccos acceptis novis retinuisset. Alter Teste S. Antonio apparuit ostendens crura igne cremata, quia veteres caligas sibi servaverat non reponendo illas in communi Vestiaria: Item F. *Clemens apparuit S.Bertrando* asserens se in Purgatorio pati, quia est usus indusiô brevi ex lino non ex lano contra Regulas Dominicanorum, quæ

ad pec

ad peccatum non obligarunt illum, Rogavit omnium orationes, quibus expeditis poſt ſex dies *vel* octo apparuit ad inſtar Stellæ jens ad Cælum.

3tium punctum. Media eliminandæ proprietatis.

1mum. Eſt ſpeculativum: nimirum conſiderare tum pænas proprietario-rum, ut videre eſt in Anania, Juda Giezi, tum exempla Chriſti Domini de ſe dicentis: Vulpes foveas &. Apoſtolorum & aliorum Sanctorum præcipuè Societ: Noſtræ, uti erat: S. P. N. Ignatius, qui Hieroſolimam iturus victum oſtiatim emendicabat. S. Xaverius Boniæ magnam pecuniam pro eleemoſyna oblatam, nec attigit, & eâ pauperibus diſtributâ, ipſe victum oſtiatim mendicando quærebat.

2dum. Practicum, quod conſiſtit in his: *1mo.* Facere etiam ſemel actum heroicum in hac materia; ſicut fecit S. Serapion, qui in ſinu ſolebat ſibi pa-

xama-

xamatium servare, quo semel in conspectu abjecit omnium, & tentatione liberatus est. 2do. semper in contrarium niti *vg*. si habes bonam vestem, & affectum nimium ad illam. offer illam Superiori. 3tio. Privare se rebus etiam necessarijs, experiri effectus paupertatis, & abiectissimum statum in Religione desiderare.

Usus ejaculatoriorum.

Timete Dominum omnes Sancti Ejus, quoniam non est inopia timentibus Eum *Psal*:33. Divites eguerunt & esurierunt inquirentes autem Dominum. non minuentur omni bonô. *Ibidem*. Edent Pauperes, & saturabuntur, & laudabunt DEUM qui requirunt eum; vivent corda eorum in sæculum sæculi. Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor *Psal*: Jacta super Dominum curam Tuam & ipse te enutriet. *Ps*. Ego autem mendicus sum & pauper, Dominus sollicitus est mei. *Psal*. PRA-

PRAXIS XXVII.

De natura, motivis & medijs Pudoris noxij in manifeſtatione ſui vincendi.

1mum punctum. Pudor hic, de quo agimus, eſt timor confuſionis, quâ retrahimur à ſincera manifeſtatione propriæ conſcientiæ facienda ſuperiori.

Gradus pudoris ſunt tres.

1mus. Vereri Superiorem ſponte adire pro manifeſtatione ſui. *2dus* Ad interrogationem Superioris ſolûm minutiora manifeſtare, occultando ea, quæ ſecum majorem ferunt confuſionem. *3tius.* Excuſare etiam mendaciter defectus ſuos ad ſuperiorem ab alijs delatos, totam culpam potiûs in alios derivando ad evitandam confuſionem.

Actus prædicti pudoris.

Existimare manifestationem sui, non ita, ùt commendatur esse necessariam. Persvadere sibi, quòd per manifestationem incursurus sis jacturam famæ. Nolle se candidè manifestare, ne humilietur. Varias rationes excogitare defendendi suos defectus. Fugere occasiones manifestationis. Graviores tentationes & defectus palliare.

2dum punctum. Motiva vincendi pudorem in manifestatione.

1mum. Quia manifestationis pudor multa mala affert. *1mo.* Quia quem pudet vulnera aperire, non sanabitur.

2do Quia ex defectu manifestationis in graviora & plura labitur homo peccata. Sicut enim manifestatio est frænum peccatorum, ita occultatio est fomes eorundem.

3tio. Quia mala occultata, peiora redduntur. Undè Bernardus: non a-

mato; inquit angulos: duo enim anguli sunt, unus singularitatis, alter obscuritatis, uterq; plenus sordium, uterq; plenus verminum; ubi enim angulus, ibi sordes, ubi sordes, ibi putredo, ubi putredo ibi vermes, & metuendum ne tantum vermes defectuum sint, sed, ne interim paretur fovea vermis infernalis. Et quid his malis pejus?

2dùm. Quia victoria de pudore, in candida sui manifestatione plurima affert commoda; *1mo.* Quia magnam animi tranquilitatem generat. *2do.* Quia invincibilem hosti reddit, cum illi suppeditet auxilia superiorum consilium *3tio.* Quia cumulat augmenta gratiæ & meritorum. *4to.* Quia facit Religiosum beatum in hac vita, ita ut non possit errare, ut pote à DEO per superiores in omnibus directus. *5to.* Quia inter superiorem, & subditum, magnam con fiden-

fidentiam, & amorem parit, cùm communicatio secretorum sit propriè amicorum, juxta illud Christi Domini dictum *Joann:* 15. Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunq; audivi à Patre meo, nota feci vobis. *6to.* Quia efficacissimum medium perfectionis à DEO inspiratum. Nam cùm omnia essentialia Religionis, teste Laynio, à DEO sint revelata S.P.N. Ignatio; manifestatio verò sit res una ex substantialibus Societatis, sequitur illam à Deo esse inspiratam, tanquam rem valdè necessariam, & utilem Riligiosis.

3tium punctum. Media superandi pudorem in manifestatione.

1mum. Persvadere sibi de superiore hæc: *1mo.* Superiorem profunegerere personam ipsius DEI, qui te in omnibus juvare possit & velit. *2do.* Superiorem tibi à DEO esse datum pro duce Spirituali & Magistro,

qui te securô tramite ad finem vocationis tuæ perducat, quem audire, est ipsum DEUM audire, & spernere, est ipsum DEUM spernere, uti ipse dixit: Qui vos audit, me audit & populo Israelitico: quod non Samuelem, sed ipsum reliquerit DEUM.

2dum. Cum primùm ad aliquem locum aut novum Superiorem ventum fuerit, expletis diebus hospitalitatis, quærere occasionem commodam adeundi Superiorem, cui manifestatio conscientiæ facienda erit, aperiendo illi imprimis omnia mala, uti sunt: vitia, mali habitus, passiones, defectus animi & corporis, tam naturales, quàm morales. Deindè indifferentia, ut tentationes, & propensiones. Tandem etiam bona *vg.* Mortificationes, devotiones, bonæ consvetudines, & aliæ virtutes; nec satis est ista aperire,

sed

sed media etiam à Superiore tradita, memoriâ tenenda, & executioni mandanda. Idem certis anni temporibus etiam non vocante Superiore, faciendum est.

3tium. Ponere sibi ob oculos exempla triumphantium de pudore in manifestatione sui. Qualis *P. Balthaser Alvarez* teste *P. Ludovico de Ponte* in ejus vita *Cap:* 39. *Para:* 2. Qui, cùm prima vice alloqueretur illum pro more Societatis P Ægidius Consalvus Visitator, ita se illi manifestavit, & totius vitæ peccata aperuit, ut P. Visitator obstupesceret, ita ut vix in sacra adverterit quid faceret. P. quoq; Gaspar Barsæus totius Collegij Rector existens publicè in Refectorio detexit sua peccata.

4tum. Usus ejaculatoriorum.

Revela Domino (o! anima mea) viam tuam, & spera in eo, & ipse

faciet: *Psal*: 36. Nonne DEO subiecta erit anima mea? *Ps*: 61. Notam fac mihi viam, in qua ambulem. *Ps*: 142. Confitebor tibi Domine in toto corde meo *Ps*: 9. Tibi Domine revelavi causam meam. *Jer*: 20. *ver*: 12.

PRAXIS XXVIII.

De natura motivis & medijs Pusillanimitatis.

1mum punctum. Pusillanimitas est vitiosa affectio mentis, qua quis convenientia ac proportionata datæ sibi potentiæ vel virtuti, recusat attentare. Ita S *Thomas* 2. 2. *quæstione* 33.

Gradus pusillanimitatis sunt tres.

1mus Cadere animô in adversis. *2dus*. Inhærere falsæ apprehensioni quasi non sit ferenda exercitatio virtutum, *3tius*. Persvadere sibi variè

quod

quod sibi occupationes propriæ professionis noceant, fingendo infirmitatem.

Actus interni pusillanimitatis sunt:

Dubitare se posse superare tentationes etiam cum DEI gratia. Deijcere animum à bonis propositis in tentationibus. Vacillare in vocatione propter tentationes. Non audere aggredi exercitium virtutum heroicarum.

Cogitare defore sibi dotes animi pro occupationibus Religiosis. Imaginari se esse debilem ac infirmum. Existimare sibi, nocere aliqua in victu, vestitu, & mortificationibus. Timere ne assigneris pro hoc vel illo officio.

Actus externi pusillanimitatis sunt:

Dicere se non posse amplius ferre hanc vel illam tentationem. Ostendere exterius se esse tentatum in

vocatione, Conqueri de debili memoria & ingenio. Excusare se ab hoc vel illo negotio, loco, occupatione, ob timorem. Subterfugere laborum occasiones.

2dum punctum. Motiva pusillanimitatis vitandæ.

1mum. Quia ab illa Spiritus S. dehortatur *Eccl:* 7. Noli esse pusillanimis.

2dum. Quia multa mala causat, de quibus S. *Gregorius Mor: Lib:* 19. *cap:* 26. Sunt inquit nonnulli, qui cum cælestia appetunt, atq; hujus mundi noxia facta derelinqvunt, ab inchoatione sua, quotidie in constantiæ pusillanimitate deficiunt; quibus hos nisi arbustis reliquis similes dixerim, quia nequaquam tales superiùs surgunt, quales inferiùs oriuntur. Hi quippè ad conversionem venientes, non tales, quales cæperant, perseverant, & quasi more

arbo

arborum inchoatione vasti sunt, sed tenues crescunt, quia pauli-sper per augmenta temporum pati-untur detrimenta virtutum. Item B. *Isaac Presbyter cap.* 42. Pusillani-mitas (inquit) est mater cruciatus; patientia verò est mater consolatio-nis. Quando vult DEUS amplius aliquem tribulari, permittit etiam venire ad manus pusillanimitatis, hæc autem parat in eo potentiam acediæ, in qua gestat suffocatio-nem animæ, quæ est gestatio ge-hennæ, & ex hac super inducitur spiritus excessus, ex quo nascuntur plurimæ tentationes, scilicet: Con-fusio, furor, blasphæmia, fatua culpatio, perversæ cogitationes, & de terra in terram transmigra-tio.

3*tium.* Quia institutum Societatis requirit magni animi vires, qui suc-cincti lumbos gravia quæq; aggre-

di, & ardua tolerare parati sint, laborando non solum circa propriam, seu etiam alienam salutem. Ideo *Const: parte* 6. *cap:* 1. §. 1. omnes (inquit) constanti animo incumbamus, ut nihil perfectionis, quod Divinâ gratiâ consequi possumus omittamus, de quo etiam Gregorius XIV. in Bulla sua mandamus (inquit) qui statuunt constitutiones, selectos tantùm Spiritus & doctrinæ viros *&c.* admittendos.

3*tium punctum.* Media expellendæ pusillanimitatis.

1*mum.* Ex Sancto Gregorio *Lib:*6. *Ep:* 4. est fiducia in DEUM; cujus rei causa sunt istæ 1*ma.* Quia infinitè est bonus, ideò neminem vult perire. 2*da.* Quia nos plùs, quàm Mater Filium diligit: *Isaiæ* 49. *ver:* 15. Si illa (scilicet Mater infantis) oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui, ecce in manibus meis

d

describsi te. 3tia. Quia nos, juxta (Apostolum 1. Petri 1. v 18. non corruptibilibus aurô aut argentô sed pretioso sangvine suo redemit. 4ta. Quia nos è tot millibus elegit, ut serviamus illi in Sanctitate & justitia coram ipso omnibus diebus nostris. *Lucæ* 8.

2dum. Ex eodem S. Gregorio & S. Ambrosio: reijcere citò cogitationes pusillanimes & futuras difficultates, prævidere, atq; munire se contra illas.

3tium. Ex S. Bernard: recursus ad P. Spiritualem. sicut fecit S, P. N. Igratius ante susceptionem generalatur, cujus oneri inparem se judicabat. *Lege ejus Vitam.*

4tum. Usus ejaculatoricrum.

In te Domine speravi, non confudar in æternùm. Tu autem Domine susceptor meus es gloria mea & xaltans caput meum *Ps:* 3.

ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. *Ps.* 12. Etiamsi occideris me in te tamen sperabo *Job:* 13. Dominus mecum est, quasi bellator fortis. *Jer:* 20. Bonus es Domine sperantibus in Te, animæ quærenti *Trhen:* 3. Bonum est præstolari cum silentio salutare Tuum Domine, quia non repellis in sempiternùm *Trhen:* 3.

PRAXIS XXIX.

De natura, motivis & medijs Reciduationis.

1*mum punctum*. Reciduatio est relapsus ad præterita vitia, per reiterationem eorum.

Gradus reciduationis sunt tres.

1*mus*. Tepiditas in servitio DI, seu negligentia in ordinarijs actionibus.

2dus. Oblivio propositorum, & malorum provenientium ex peccatis.

3tius. Nimia effusio ad sensualitates erga creaturas, ex quarum inordinato ac immoderato usu, homo relabitur in ea, quæ prius defleverat.

Actus reciduationis sunt,

Vide negligentia, tepor, amor proprius.

2dum punctum. Motiva Reciduationis fugiendæ.

1mum. Quia licet quemlibet hominem, præcipuè tamen Religiosum reciduatio dehonestat, propter hæc:

1mo. Quia illum, qui post conversionem suam per contemptum creaturarum, & sui ipsius factus erat spectaculum mundo, Angelis & hominibus; per iterationem peccatorum reddit vilem juxta illud *Jer:* 2. ℣. 25. Quam vilis facta es nimis

ite-

rans vias.tuas 2do. Quia ut ait Salomon *Prov.* 16. Sicut canis, qui revertitur ad vomitum; sic imprudens, qui iterat stultitiam suam. Et 2. *Petri* 2. *ver*: 22. Canis reversus ad vomitum, & sus lota in volutabro luti.

2dum. Quia est periculosa ob tria.

1mo. Ratione Divinæ justitiæ ingratos punientis. Nam si cui plus dimittitur, plus diligit; certè si cui plus dimittitur & offendit, plùs per ingratitudinem peccat. Ideo *Hæb*: 16. Impossibilè est eos, qui semel sunt illuminati gustaverunt etiam donum Cæleste rursus renovari ad pænitentiam. *Et inferius*: Terra super se venientem sæpè bibens imbrem & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à DEO: proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, & proxima maledicto. 2do. Ratione dæmonis *Math*: 12. *ver*: 42. Re-

ver-

vertar (inquit) in Domum meam, undè exivi. Deindè assumit septem alios Spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi, & novissima hominis illius sunt peiora prioribus 3*tio*. Ratione peccatoris relabentis: tum quia ex frequentiori relapsu acquirit consvetudinem malam, ut de se testatur S. *Augustinus Lib: 8. conf: cap: 5.* Velle meum (inquit) tenebat inimicus, & indè mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido, & dum servitur libidini; facta est consvetudo, & dum consvetudini non resistitur, facta est necessitas. Tum, quia peccatum (inquit S. *Gregorius Mor: Lib. 25. cap: 12.*) Quod pœnitentia non diluit, suo pondere mox ad aliud trahit.

4*tium*. Exempla punitæ reciduationis, *Pharaonis Exodi. 15. Achabi Regis 3. Regum 21. &c.* V. de timor.

3*tium*.

3tium. Punctum. Media vitandæ. Reciduationis.

1mum. Consistit in his: *1mo.* in memoria suæ professionis & malorum ex relapsu provenientium *2do.* In retinendo fervore per diligentem expeditionem meditationum, examinum, recollectionum hebdamadariarum, menstruarum, & quotidianarum.

2dum. In mortificatione eorum sensuum, & passionum, quæ in aliquo prædominantur magis, & aliorum malorum sunt causa. Uti fecit *S. P. N. Ignatius. P. Mancinellus*, & alij.

3tium. Comprehendit hæc; *1mum.* Ut quotiescunq; cadis, resurgas per pænitentiam. Septies enim ait Salomon *Prov:* 24. Cadit justus & resurgit. *2dum.* Ut emendationem non procrastines, sed statim resurgas, tum quia nescis an diutiùs victurus

sis,

ſis, ideò non tardes,(inquit *Sapien:*) Converti ad Dominum,nec differas de die in diem, ſubitò enim veniet ira ejus, & in tempore vindictæ diſperdet te. Tum quia licet victurus ſis diutiùs procraſtinatione tamen provocas DEUM ad iram. An divitias (inquit Apoſtolus.) *Rom:* 2. *ver:* 4. Bonitatis ejus & patientiæ &longanimitatis contemnis:ignoras quoniam benignitas DEI ad pænitentiam te adducit; ſecundùm autèm duritiem tuam, & impænitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ.

4tum. Uſus ejeculatoriorum.

Utinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas juſtificationes tuas *Pſ:* 118. Juſicationes tuas cuſtodiam, non me derelinquas. *Ibidem;* In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi.*Ibidem.* In via mandatorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus divitijs. *Ibidem.*

Vias

Vias meas enuntiavi, & exaudisti me: doce me justificationes tuas *Ibidem*. Viam iniquitatis amove à me, & de lege tua miserere mei. *Ibidem*. Averte oculos meos, ne videant vanitatem, & in via tua vivifica me. *Ibidem*.

PRAXIS XXX.

De natura, motivis, & medijs, Regularum neglectus.

1mum punctum. Regularum neglectus est vivere pro libitu suo non attendendo, quid regula status sui ostendat, præcipiat aut vetet.

Gradus Regularum neglectus sunt tres.

1mus. Diminuere aliquid ex æstimatione priori Regularum, quam habuisti initiò ingressus tui, proindè non tanti eas æstimare, quanti æstimandæ sunt. *2dus*. Interpretari Regulas, trahendo illas pro tua parte, &

te, & commodo, ut se illæ potiùs, tuæ voluntati, quam tu illis accomodes 3tius. Transgredi illas deliberatè frequenter.

Actus interni Regularum neglectus sunt.

Nolle scire & intelligere regulas, ne illas cogaris servare. Rarò, aut nunquàm reflexionem ad observationem illarum facere. Non libenter de illis meditari. Persvadere sibi nullum esse peccatum in voluntaria violatione Regularum. Existimare scrupulosorum esse minimas Regulas observare. Pluris æstimare favorem sociorum, quàm observationem Regularum.

Actus externi sunt.

Pro transgressione Regulæ alicujus, pænitentiam non petere. Quærere exemptiones ab aliquibus regulis, vel ordinationibus, in rebus minùs urgentibus interpretativà licen-

centiâ uti, facilè socios in trangressione Regularum sequi. Censurare rigorem Regularum, vel ordinationum. Murmurare contra Superiores exigentes observationem Regularum.

2dum punctum. Motiva superandi negligentiam in observandis Regulis.

1mum. Præstantia Regularum tum, quia ab ipso DEO sunt inspiratæ, ut patet ex vita S. P N. *Ignatij*, tum, quia à sede Apostolica sunt approbatæ,

2dum. Necessitas, quæ ostenditur ex his: *1mo.* Quia id scriptura exigit Prov: 3. Fili mi, ne obliviscaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum custodiat & *Prov:* 19. Qui custodit mandatum, custodit animam suam: qui autem negligit viam suam, mortificabitur: Vatablus vertit: morietur. Syrus: interimetur. *2do.* Quia

S. P.

S. P. N. Ignatius in Const: par: 10. §. 13. id requirit. Undè Regula sum: §2. *Omnes demum &c.* 3*tio.* Quia Regulæ sunt medium assequendi perfectionem, ad quam quilibet Religiosus ex vi statûs sui obligatur tendere. Vide P. Rodericium. *Par:* 3. *Tract:* 6. *Cap:* 2. 4*to.* Quia etiam politicè loquendo gentiles imò & Athei ipsi observant leges Civitatis, in qua degunt, licet de pænis, aut præmiô æternò nihil credant. Ergo multò magis Religiosus, qui se ad hoc obligavit spontè.

3*tium.* Utilitas multiplex. 1*ma.* Quia qui custodit legem, servatur ab illa. Sic state (inquit *Bernardus*) in Domino dilectissimi, soliciti semper circa Custodiam ordinis, ut ordo custodiat vos. Ideò enim Regulæ à SS. PP. assimilantur, vallô Civitatis juxta illud *Isa:* 26. Urbs fortitudinis nostræ Sion, ponetur in

ea murus & antemurale. Imò etiam gentiles, ut Plato: leges assimilat fulcris ædifitiorum; Aristoteles: animæ in corpore. 2da. Quia observans Regulas voluntatem DEI implet, proindè amatur à DEO. Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater Meus diliget Eum *Joan:* 14. *ver:* 15. 3*tia*. Quia sunt sicut vestis nuptialis in qua Religiosus ad cœnam Agni debet comparere 4*ta*. Quia observatio Regularum magnam animi tranquillitatem parit, juxta illud *Galat:* 6. *ver:* 16. Quicunq; hanc Regulam secuti fuerint, pax super illos & misericordia. Hæc Apostolus de Regula Evangelij Christi. Quæ S. *Bonaventura* Regulæ S *Francisci* attiibuit, quam ab ijsdem verbis incepit. 5*ta*. Quia regulæ sunt (inquit P. *Alvarez*) quasi clypei, eo, quòd eas telis adversariorum objiciamus, ne percussi aliquô crimine, pe-

rea-

reamus. *Cant.* 4. Sicut turris *David*, Collum tuum, quæ ædificata est, cum propugnaculis mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium, *ubi* per *Collum P. Alvarez* intelligit statum Religiosum, qui, sicut collum agnoscit Caput, ita status Religiosus Episcopos pro capite agnoscit. Hic status comparatus illi turri David in Sion positæ ad retundendos hostes, cujus propugnacula sunt, Viri perfecti: Clypei, Regulæ.

1*mum punctum*. Media servandi Regulas.

1*mum*. Ex P. *Balthasare Alvarez* docente: tripliciter nos debere ambulare in instituto Societatis: 1*mo*. *Spiritu*. magni-faciendo illud. 2*do*. *Corde*. Intimè amando constitutiones. 3*tio*. *Practicè*. Observando Regulas per conformationem actionum ad illas.

2*dum*. Diligenter legere, audire, & me-

meditari regulas, cum viva reflexione ad obſervationem *vel* violationem illarum, quòd ſi contigerit à liquam Regulam violare, ſtatim petere pænitentiam, vel certe ſpontaneam ſubire.

3*tium*. Intueri exempla cuſtodientium Regulas. P. *Hieronimus Rubiola Rector Senenſis* moribundus cum laxiores induſii manicæ ad cubitum collectæ ſumma brachij nudarent, operiri iuſſit: quoniam Sancta obedientia id jubet, & quodam ex adſtantibus Sacerdote ſubijciente: tantam ſeveritatem non exigi eo tempore; Reſpondit moribundus: Nullum eſſe tempus interpretandi leges, ubi ſervari poſſunt. *Sachimus Hiſt: Soci: par*: 3. *Libr*: 6. *P. Bernardus Realinus* exactus Regularum obſervator, quoties illarum mentionem fecit, appellabat eas ſanctas, dicebatq; earum obſervationem, bonum eſſe medium

ad

ad placendum DEO. Unde, cum de quodam ſacerdote Societatis audiret, quòd miracula patraret. Reſpondit: Si ſervat Regulas, poteſt tot miracula, quòd cupit patrare, eò quòd ad talium Religioſorum voluntatem concurrat valdè DEUS, quos cernit in ſervandis Regulis exactos. P. *Didacus Martinez* teſte illius Confeſſario; nunquam ullam Regulam ſciens tranſgreſſus eſt. Idem refertur de *Franciſco Mendoza.*

4tum. Uſus ejaculatoriorum.

Utinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas juſtificationes tuas. Juſtificationes Tuas cuſtodiam, non me derelinquas uſquequaque: *Pſ.* 118. Cuſtodiam legem tuam ſemper in ſæcula & in ſæculum ſæculi. *Ibidem.* Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in avaritiam. *Ibidem* Fiat cor meum immaculatum in juſtificationibus tuis, ut non confundar: *Ibidem.*

Viam justificationum tuarum instrue me, & exercebor in mandatis tuis *Ps.* 118. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis injustitia; *ibidem.* Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas. *Ibidem.* Statue servo eloquium tuum in timore tuo *Ibidem.*

PRAXIS XXXI.

De natura, motivis, & medijs. Respectus humani.

1*mum punctum.* Respectus humanus est vitium, quo unum alteri absq; sufficienti causa, & ratione præponimus.

Gradus Respectus humani sunt tres.

1*mus.* Incipit ab amicitia particulari, quando aliquis cum hoc potiùs, quàm cum alijs familiariùs agit,

præ-

præferendo illum ob solam aliquam speciem exteriorem, non verò propter honestam ac solidam rationem, quæ in alijs excellentiori modô reperitur. 2*dus*. Cum quis majora benevolentiæ signa & honoris, dictis & factis potiùs huic suo familiari, quam alijs exhibet, ob rationem similem illi quæ in primo gradu posita est 3*tius*. Est committere, aut omittere quidpiam contra legem aliquam, in gratiam particularis favoris, erga aliquam personam, quem gradum conscendunt præcipuè illi, qui in administranda justitia, non ad causam aut rei æquitatem sed ad solam personam, seu conditionem externam respiciunt, cui meliùs favent præ alijs.

Actus interni respectus humani sunt.

Præferre apud se unum alteri, absq; sufficienti ratione, pluris face-

re gratiam hominis, quàm DEI. Maiori affectû ferri in personam particularem, quàm virtutem. Excogitare rationes insinuandi se in gratiam majorum. Vili pendere illos, à quibus nihil proprij commodi speratur. Ambire familiaritates æqualium certorum tantum. Nolle videri observans Regulas, ne ab alijs vitupereris.

Actus externi Respectus humani sunt.

Effundere se ad exteriora neglectis interioribus, placendi alijs gratiâ. Post pulsum recreationes ulterius sermones protrahere, ut placeas eis. In censurandis aliorum moribus, familiares juvare. Dictis & factis irreligiosis amicorum se accomodare. Paupertatem placendi studio violare. Commodiora in victu, vestitu, loco, occupatione, familiaribus potius, quàm alijs procurare.

Ora-

Orationem aut examen in gratiam illorum decurtare, aut omittere. Defectus familiarium, ne illis displiceas coram Superiore cælare. Ab humilioribus officijs ob pudorem se excusare.

2dum punctum. Motiva vitandi Respectus humani sunt.

1mum. Ex parte DEI: Quia indigna res est: ut illi præferatur aliqua Creatura: tum quia lumen naturæ ostendit, DEUM esse excellentiorem, meliorem, & utiliorem nobis, quàm ullam Creaturam; tum quia teste S. *Chrysostomo Hom:8.* Omnes homines respectu DEI sunt minus quid, quàm lumbrici respectu hominis. An non igitur magna indignitas est, DEUM propter hominem relinquere.

2dum. Ex parte ipsius hominis respectu humano laborantis. Quia multa mala incurrit. Nam *1mo.* tales

respectus maculant animam DEUM offendendo. *2do.* Conſciéntiæ remorſum pariunt. *3tio.* Impediunt ſpiritualem profectum. *4to.* A ſervitio DEI excludunt juxta illud Apoſtoli. *Galat* 1. Si hominibus (inquit) placerem, ſervus DEI non eſſem. *5to.* A DEO reijciuntur *Pſ.* 52. *verſu.* 6. DEUS diſſipavit oſſa eorum, qui hominibus placent, confuſi ſunt, quoniam DEUS ſprevit eos.

3tium. Ex parte communitatis, quæ graviter offenditur particularibûs amicitijs cum iſtæ ſoleant eſſe, magnarum invidiarum & diſſidiorum cauſa, nam qui minus abſq; ſpeciali cauſa, quàm alij diliguntur, æſtimant ſe odio haberi, contemni nec ſibi foveri, proindè iram ſuam convertunt tam in eum, qui ipſi præfertur, quàm in ipſum præferentem, ſicut fecerunt Fratres Joſephi. *Genes:* 14. Et inter Apoſtolos orta e-

rat

rat turbatio, ratione Petri Prælati sibi.

3tium punctum. Media calcandi respectus humanos.

1mum. Præfigere puram intentionem omnibûs actionibus suis quærendi majorem DEI gloriam.

2dum. Propositum firmum nihil agendi *vel* amittendi contra aliquam Regulam in gratiam amici, & defectum hac in re commissum, non sinere impunitum abire.

3tium. Exemplum ob oculos sibi ponere.

1mo. S. P. N. Ignatij, qui prius exemplô, postea verbô docuit calcandos respectus humanos. Quod P. *Frusius* illis versiculis complexus est.

Sit tua Spiritui libertas, semper & illam.

Nec persona potens, causa nec ulla gravet.

2*do*. P. Egilbæi, qui elegit mori, quam in gratiam Regis & Episcopi Hæretici mutare fidem. 3*tio*. *Hyeronymi Cygnardi* de quo in ejus vita habetur hoc: Habuit intentionem puram in operando, & non respiciebat sermones æstimationesq; humanas.

4*tum*. Usus ejaculatoriorum.

Tu autem Domine susceptor meus es gloria mea, & exaltans caput meum. *Ps*: 3. *ver*: 34. Bonum est præstolari cum silentio salutare tuum Domine, quia non repelles in sempiternum.

Qui confidunt in Domino sicut mons sion non commovebitur in æternum *Ps*: 124. In te Domine speravi non confundar in æternum.

Judica me DEUS, & discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo & doloso erue me *Ps*: 42. Diem hominis non desideravi, ut scis. *Jerem*: 12. PRA-

PRAXIS XXXII.

De natura, motivis, & mediis Somnolentiæ.

1mum punctum. Somnolentia est torpor mentis in excutiendo somno minus necessario.

Gradus somnolentiæ sunt tres.

1mus. Manè surgere pigrè & osci-tanter *2dus.* In oratione *vel* aliis diurnis actionibus non resistere sopori. *3tius.* Longius protrahere somnum manè sine facultate, & interdiu, non propter necessitatem, sed pigritiam.

Actus somnolentiæ.

Vide negligentia, otium, tepor.

2dum punctum. Motiva somnolentiæ excutiendæ.

1mum. Quia surgere manè alacriter ad offerendas DEO primitias diei, & varios actus virtutum est

illi res gratiſſima, ut potè Sacrificium matutinum longè nobilius illo, de quo Levitici 23, *Num:* 28. & 29.

2dum. Quia per alacrem matutini ſomni excuſſionem imprimis præcluditur via ſuggeſtionibus diaboli, qui (ut docet S. *Joannes Climacus gradu* 21.) manè expergefactos ſervos DEI invadit, ſpurcas cogitationes obtrudendo, totius diei poſſeſſionem ab ejs extorquendo. Deindè quia â ferventi ſurrectione totius diei ſucceſſus dependet

3tium. Quia turpè eſt ſervum DEI pigritare, eo tempore, quo 1*mo.* filij hujus ſæculi jam vigilant, & circa opera ſua caduca deſudant. 2*do.* Quo alij Religioſi Divinas laudes jam decantant. 3*tio.* Quo DEUM laudant ipſa aſtra matutina, & illi jubilant omnes Filj DEI *Job:* 38. *ver:* 7.

3tium punctum. Media repellendæ

ſomnolentiæ 1*mum.*

1*mum*. Investigare & pro posse tol-
lere causas somnolentiæ, quæ 1*mo*. Si o-
riatur ex defectu somni, is supplen-
dus est. 2*do*. Si á cibo largiùs sumpto
minuendus est. 3*tio*. Si à nimio labore,
discretione moderandus est. 4*to*. Si à
vano timore quo aliquis timet, ne si
diutiùs non dormiverit, in morbum
incidat. Hic timor pellendus est cogi-
tatione de pluris æstimando, & magis
diligendo DEO, qvàm carne nostra,
quæ nos in perniciem ducit. 5*to*. Si à
dæmone, hic oratione vincendus erit.

2*dum*. Quod matutinæ præcipuè
surrectioni servit, consistit in his:
1*mo*. Juxta doctrinam *Cassiani Libr:*
10. *cap:* 25. strenuè resistere torpo-
ri, quòd fiet, si manè auditô signô,
tanquam voce Angeli dicentis: *sur-
ge velociter*, statim alacriter surrexe-
ris; sic enim omnes somnolentiæ
catenæ decident, & tu ferventior
efficieris ad ambulandum in via Do-
mini.

mini. *2do.* Si postquam evigilaveris (ut docet S. *Bonaventura par:* 1. *cap:* 4. (Statim cogitationes tuas abijcias de corde tuo, & somnia, quæ somniâsti in nocte, & primitias cogitationum tuarum offeras DEO. *3tio.* A somno excitatus, cogita hunc diem illuxisse fortè ultimum vitæ tuæ, qui tibi pro agenda pænitentia, pro cumulandis meritis, & acquirenda magna in Cælo gloria est concessus. Quod S. *Mechtildi* (quæ cùm ob ægritudinem communicare non posset, rogavit, ut ipsi Christus de micis mensæ suæ aliquid porrigeret) SS. DEI ostenderunt dicentes eia! quàm felices vos estis, qui ad huc vivitis in terra, eò quòd multa promereri potestis! quia, si homo sciret, quanta etiam unô die promereri posset, mox, ut à somno evigilaret, tantô gaudiô, cor ejus dilataretur, pro eò, quòd dies illa illu-

xisset,

xisset, in qua DEO vivere, & ex DEI gratia suum meritum ad DEI laudem augere possit, quod totâ die ad omnia, quæ agere aut pati deberet alacrior, & fortior videretur *Lib:* 4. *cap:* 4. *Mechtildis Virginis* spiritualis gratia.

3*tium.* Contra diurnam somnolentiam ostendit P. *Alphonsus Rodericius par:* 1. *Tract:* 5. *cap:* 24. Nempè vexationes aliquas corporis, cujusmodi sunt illæ. In pede starè. 2*do.* Non inniti ullô fulcrô 3*tio.* Frigidâ aquâ oculos madefacere 4*to.* Cælum frequentius intueri. 5*to.* Coram Venerabili sacramento orare. 6*to.* In oratione aliquem sibi dolorem infligere. 7*mo.* Aliquanti spe. (quod privatim ubi alij non vident, faciendum est.) In modum Crucis brachia extendere. 8*vo.* Vocaliter orare.

4*tum.* Exemplum, sibi revocare in me-

memoriam, quomodo somnolentia punita ſit in *Fratre Coadjutore Carrera*, qui, cum ſuo Angelo Tutelari ſicut cum Socio colloquebatur, & ex ſomno excitabatur ordinariè. At poſtquam ſemel ad vocem excitantis pigritaret ſurgere, per longum tempus manſit privatus Angelicô conſortiô.

5*tum*. Prorumpere in varios affectus pios, erga DEUM *vg.* laudis, gratiarum actionis, petitionis *&c.* quòd poteſt fieri per ejaculatorios actus.

Benedicta ſit Sancta & individua Trinitas, nunc & ſemper & per infinita ſæcula ſæculorum *Amen.*

Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto *&c.*

Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt *Pſ.* 102.

Confiteantur Tibi Domine omnia opera tua, & SS. Tui benedicant tibi *Pſ.* 144.

DE-

DEUS in adjutorium meum intende, &c.

JESUS MARIA JOSEPH sucurrite clienti vestro, nunc, & in hora mortis meæ, Amen.

PRAXIS XXXIII.

De natura, motivis, & medijs Superbiæ.

1mum *punctum*. Superbia est appetitus inordinatus excellentiæ in Spiritualibus aut temporalibus, quo quis majorem se facit, & fieri vult, quam re ipsa sit.

Gradus superbiæ præcipuè sunt tres.

1mus. Magni æstimare se ipsum. 2dus. Velle ab alijs magni fieri, amari, laudari. 3tius. Omnia bona sibi, & proprijs meritis attribuere.

Actus interni superbiæ sunt.

Præferre se alijs. Alta officia ambire.

bire. Judicare se ad omnia aptum. Judicio suo nimiùm fidere, alios contemnendo. Æxistimare se habere ea, quæ quis non habet. Efferre se propter talenta à DEO concessa. Nolle agnoscere & fateri suum errorem. Ægrè ferre reprehensiones, & pænitentias.

Actus externi superbiæ sunt.

Honorificè loqui de se, rebusq; proprijs. Loqui ea, quæ tuam prudentiam, aut alias virtutes audientibus insinuent. In conversatione authoritatem sibi arrogare. Hypocriticè se vituperare, ut per humilitatem vanitas captetur. Primum locum in omnibus sibi vendicare. Manifestationem subterfugere. Defectus suos excusare. Pro pænitentijs datis conqueri, & murmurare. Opinionem suam mordicus tenere. Officia humiliora detrectare.

2dum punctum. Motiva eradicandæ superbiæ.

1*mum*. Quia odibilis est, coram DEO & hominibus superbia. *Eccl*: 10. *ver*: 18.

2*dum*, Tum quia initium est peccati *Eccl*: 10. *ver*: 18. Tum quia Superbi etiam inter se nullô modô possunt convenire. Tum deniq; quia Superbia, inquit, *S. Chrisostomus*, hominem reddit dæmonem, blasphemum, contumeliosum, perjurum, cupidum cædium & homicidiorum. Elatus semper in doloribus vivit, semper indignatur, semper mæret, nihil est, quòd ejus possit explere libidinem. Hæc ille.

3*tium*. Quia DEUS graviter punit Superbiam, ut patet 1*mo*. in Angelis Apostatis *Isa*: 14. Quomodò cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris? 2*do*. In exstructoribus *Turris Babel Genes*: 11. *ver*: 3. 3*tio*. In Sennacherib: *Isai*: 37. *ver*: 6. 4*to*. In Nabuchodonosor *Dan*: 47. 5*to*. In Herode

rode. *Actor*: 12. *6to*. In Juliano Apostata teló Divinitùs percussô, teste Nicephoro *Lib*: 10. *cap*: 37.

3tium punctum. Media curandæ Superbiæ.

1mum. Cogitare quàm DEO Superbia sit odibilis, & ipsi superbo perniciosa.

2dum. Expendere apud se, (præcipuè cum laudamur) *1mo*. Quia laus non auget virtutem. *2do*. Quia iste qui laudat, putat nos esse dignos, cùm aliter se res habeat. *3tio*. Quia si dignos nos æstimamus esse laude, ob aliquod bonum opus, debemus totum id attribuere DEO.

3tium. Consistit in his: *1mo*. Facere propositum firmum, imprimis, nullum peccatum committendi in ordine ad assequendum hoc, quod ambimus. Deindè etiamsi sine ullo peccato esset, non utendi ullô mediô ad obtinendum honorem. *2do*. Non

exercere virtutes in ordine ad asse-quendum honorem aliquem 3tio. Si ex ordinatione Superiorum assigne-ris ad aliquod honorificum Offici-um, ut priùs coram Superiore faci-as sinceram manifestationem Con-scientiæ. 4to. Exercere se in abje-ctioribus officijs, prout fecit & do-cuit S. P. N. *Ignatius Reg: Sum:* 13. in exercendis, inquit, officijs abje-ctis, & humilibus promptius ea su-scipi convenit, à quibus sensus ma-gis abhorrebit: quam exactè imple-vit P. *Didacus Martinez*, qui Coadjuto-rum officiis applicatus, summa ani-mi alacritate & diligentia, illa obi-bat, ac si nullâ humanâ scientiâ es-set excultus.

4tum. Usus Ejaculatoriorum.

Non veniat mihi Domine pes Su-perbiæ, ibi enim omnes ceciderunt, qui operantur iniquitatem. *Ps:* 35. Quis sicut Dominus Deus noster,

qui

qui in altis habitat, & humilia respicit in Cælo, & in terra *Ps*: 112. Quis sum ego Domine DEUS, & quæ Domus Patris mei, ut præstares mihi talia. 2. *Reg*: 7. Tua est Domine magnificentia, & gloria, & victoria, tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus dedimus tibi 1. *Paralipomenon*: 29. v. Vana gloria.

PRAXIS XXXIV.

De natura, motivis, & medijs teporis Spiritualis.

1mum *punctum*. Tepor Spiritualis, est remissio mentis in exercitio virtutum.

Gradus teporis sunt tres.

1*mus*. Segniter mandare executioni proposita, de malis actibus vitandis, & bonis exercendis. 2*dus*. Sensim negligere res minimas spectantes ad perfectionem, committendo deli-

deliberatè multa peccata venialia, quæ fervorem minuunt. 3tius. Ita se totum immergere occupationibus aut commodis proprijs quærendisq; illecebris, ut rerum Spiritualium obliviscatur.

Actus interni teporis

Meditationem & examen conscientiæ perfunctoriè, & absq; proposito facere. Raró interiùs compungi. Ad otiosam vitam aspirare. Revocare sibi in mentem pristinos mores, & complacere in illis, quæ ante displicebant. Delectari blandities hominum, & aliarum creaturarum. Frigere in usu Sacramentorum & ea sine digna præparatione sumere. Ægrè ferre disciplinam Religiosam, & monita Superiorum. Parvi facere inspirationes Divinas urgentes ad perfectionem.

Actus externi teporis.

Lectionem Spiritualem, aut negli-

gen-

genter legere, aut omittere. Liberè de alijs loqui. Dicta & facta aliorum observare, ac reprehendere. Sensualitatibus indulgere. Extra cubiculum vagari, & angulares familiaritates fovere. Visitationes aliorum super vacaneas quærere. Solitudinem, & mortificationem ferre. Subterfugere occasiones laboris, Conversationem Virorum spiritualium fugere, contra exigentes observationem disciplinæ murmurare.

2dum. pnuctum. Motiva fugiendi teporis.

1mum. Quia tepor hominem reddit odibilem DEO. Unde *Jer*: 48 dicitur maledictus, qui opus Domini facit fraudulenter; alia versio habet negligenter. *Item*, *Matt*: 3. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur. *Item Luc*: 13. Succide illam, ut quid etiam terram occupat? *Item Joan*: 15. Omnem palmitem in me non feren-

tem

tem fructum; tollet eum. *Item. Apoc.* 3. Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. *Item. Math:* 22. Inutilem servum projicite in tenebras exteriores.

2dum. Quia tepor exponit Religiosum triplici periculo: *1mo.* Faciendi jacturam præteritorum meritorum. Admonendi sunt (inquit S *Gregorius*) 3. *Pun: cap:* 35. Qui inchoata bona minimè consumant, ut cauta circumspectione considerent, quia dum proposita non perficiunt, etiam, quæ fuerunt cæpta, convellunt *2do.* Cadendi graviùs; lapsus, quispiam (inquit) *Cassianus. Coll:* 6. *cap:* 17. Nequaquam subitanea ruina corruisse credendus est, sed aut pravæ institutionis deceptus exordiô, aut per longam mentis incuriam paulatim virtute animi decidente, & per hoc sensim vitijs increscentibus casu miserabili cecidisse. *3tio.* Amittendi spem ad emer-

emergendum ex tepore. Multò faciliùs (inquit *Bernardus ad Richardum Epis: 96.*) reperies sæculares multos converti ad bonum, quàm unum quempiam de Religiosis transire ad melius. Rarissimè avis in terris est; qui de gradu, quem fortè in Religione semel attigerit, vel parum ascendat.

3tium. Colligitur ex effectibus teporis, quorum *1mus.* est: Quia tepor diminuto fervore, reddit disciplinam Religiosam gravem, indè inquietudo, & sæpè amissio Vocationis, *2dus.* Quia impedit Religiosum à tendentia ad perfectionem, ad quàm ex vi statùs sui obligatur, *3tius.* Quia in hac vita illum pluribus gradibus gratiæ, in altera gloriæ privat, & multis inficit maculis *4tus.* Quia in ipsa morte minuit affectum filialem erga DEUM, & post mortem impedit celerem illius fruitionem.

3tium. punctum. Media curandi teporem.

1mum. Ante adventum teporis, consistit in his: 1mo. Ordinarias actiones rectè diligenter, ordinateq́; expedire. 2do. Habere curam minimorum, tam vitandorum quàm exercitandorum. 3tio. Continuum exercitium, virtutum per actus, tam internos, quàm externos.

2dum. In adventu teporis facienda hæc: 1mo. cum primùm videris, de primo fervore incipere te tepescere, humilies te coram DEO, agnoscendo culpam, & de eo dolendo. 2do. Concipere magnam spem de auxilio DEI, qui lapsos, peculiaribus beneficijs solet afficere, si ad se humiliter cum fiducia recurrent, ut patet in S. *Petro Apostolo*, & in alijs. 3tio. Cum senseris leviusculô te malô hòc tentari, strenuè resistas. Caveat (inquit *Bernardus*) ne difficilitate, vel tædiô victûs,

desistat à studio perfectionis Spiritualis; sed juvantis manum requirat, trahi se petat, donec denuò suscitante gratiâ, factus promptior & alacrior curat.

3tium Post adventum teporis, postquam invaluit, præstanda sunt hæc: *1mo.* Recogitare secum tum damna teporis, tum primam illam resolutionem, quam fecit, quis in primo ingressu, tum deniq; finem sui statùs exemplô S. *Bernardi*, sese ad fervorem excitantis, illis verbis: *Bernarde, Bernarde*, ad quid venisti? Cur mundum reliquisti? an non ut DEO ferventer servires? passiones calcares? tuas voluntates mortificares? *2do.* Mortificare se continuò inferendo vim malis inclinationibus; tantùm, inquit S. *Hieronymus*, proficies, quantûm tibi vim intuleris. Præterea cum Regnum Cælorum vim patiatur, & violenti rapiunt illud,

dignum est, ut pro illo aliquid patiaris, sequendo Christum te vocantem; si quis, inquit, vult venire post me, obneget semet ipsum &c. 3tio Recurrere per humilem & ferventem orationem, ad DEUM, B. V. MARIAM, & alios Sanctos præcipuè Patronos, petendo ab illis fervorem in se vitio Divino.

4tum. Usus ejaculatoriorum.

Utinam cor meum, & caro mea exultent in DEMU vivum *Ps.* 83. *ver.* 2. Lætifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi. *Ibidem.* Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum *Ps.* 89. *v.* 10. Domine cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me *Psal:* 20. *v.* 10. Ignis in altari meo (scilicet corde) semper ardeat. *Levit:* 6to.

PRAXIS XXXV.

De natura, motivis & medijs tristitiæ.

1mum. punctum. Tristitia est molestia appetitûs, orta ex apprehensione mali præsentis.

Gradus tristitiæ ex Humberto Colliguntur tres.

1mus. Tristari ex bonorum temporalium amissione, vel denegatione. *2dus.* Tristari ex malorum perpessione. *3tius.* Tristari ex felici successu proximi.

Actus interni tristitiæ.

Nimiùm animô deijci ob defectus aliquos commissos. Examinare tacitus dicta & facta alterius, quasi contra se directa sint. Apprehendere hunc vel illum contra se aliquid machinari. Affligi in animo, quòd non possit injuriam vindicare. Dolere, quòd volun-

voluntati suæ in aliquo non sit satisfactum. Iniquô animô ferre, aliquem sibi præferri. Indignari, quòd alij sibi non deferant potiores partes.

Actus externi tristitiæ.

Frontem corrugatam, & dejectum vultum præseferre. Consolationes aliorum non admittere. Consortia honesta aliorum vitare. In consvetis recreationibus solitarium esse. Verbîs asperis alios expedire. Mordicùs silentium, ubi loquendum est, servare. Exercitia spiritualia, ut orationem, lectionem &c. negligere, aut cum tædio præstare.

2dum punctum. Motiva tristitiæ, seu melancholiæ superandæ.

1mum. Quia ex tristitia sequuntur alia vitia, præcipuè *1mum.* Pusillanimitas, cum quis existimat se in desolatione displicere, & cadit animo in propositis perficiendis: proindè

murmurat, & ex indignatione contra DEUM queritur. *2dum.* Effusio ad exteriora, eò, quòd careat Spiritualibus consolationibus homò. *3tium.* Temeritas, seu præsumptio, cum homo amissam devotionem proprijs viribus putat se recuperaturum.

2dum. Quia tristitia est ad instar morbi perniciosissimi. Nam sicut morbus. *1mo.* Usum membrorum ægroto adimit, sic tristitia ad omnia imbecillem reddit, juxta illud *Prov:* 25. *v.* 20. Sicut tinea vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi. *2do.* Gustum tollit: sic tristitia appetitum ad res spirituales eliminat. *3tio.* Ægros impatientes facit: sic tristitia melancholicos, asperos reddit. *4to.* Inquietudinem parit: sic tristitia non sinit quiescere hominem, sed replet illum jam timoribus, jam suspitionibus. *5to.* Ad mortem disponit: sic tristitia facere solet, expo-

ponendo hominem innumeris tentationibus dæmonis, & periculis.

3tium. Quia triſtitia (inquit *Caſſiodorus cap.* 1.) Spiritus orationes explere, cum ſolita cordis alacritate non permittit, non ſacrarum lectionum ſinit remedijs incumbere, tranquillum quoq; ac mitem fratribus eſſe, non patitur.

3tium punctum. Media curandæ triſtitiæ.

1mum. In ipſis cauſis (quas capiamus, & S. *Bonaventura* ſex aſſignat) occurrere triſtitiæ. Nam 1*mo.* Si triſtitia oritur ex humore complexionis melancholicæ prædominante, tunc melancholicæ cogitationes exortæ, ſtatim ſunt reijciendæ, avocando animum ad aliquid aliud. 2*do.* Si ex immortificatione paſſionum, ſeu impatientiæ, mortificationi invigilandum eſt. 3*tio.* Si ex nimio erga res

creatas affectu, abnegationi incumbendum. *4to.* Si ex tepore, fervor in Divino servitio procurandus *5to.* Si ex superbia, humilitatis auxiliô utendum. *6to.* Si deniq; ex quocunq; peccato, diligentior custodia sui adhibenda, ne deliberate etiam venialiter peccetur, cum nihil tristem magis, ac inquietam conscientiam reddat: quàm peccatum.

2dum. Quia malum, propter quod aliquis tristatur, citò transit. & post tenebras, speranda est lux. Proindè monet *Spiritus S. Eccl:* 11. *v.* 25. In die bonorum, ne immemor sis malorum, & in die malorum, ne immemor sis bonorum. Præterea, quia omnia adversa non sine DEI voluntate pro bono hominum immittuntur.

3tium. Memoria Passionis Christi Domini, ut patet in illo servo DEI, apud *Alphonsum Rodericium*, de tri-

sti-

ſtitia *cap*: 5. in fine. Qui dum gravisſima repleretur triſtitia, in Cællam ſe abdidit, vocem ab intimis animæ penetralibus ſibi dicentem audivit. Quid hic in otio temetipſum affligis, & conſumis? Quin ſurgis & paſſionem meam recogitas? Surgit ergo, & maxima cum attentione, illius myſteria meditari incipit: & ecce vix dum benè cœperat, maximâ conſolatione repletus eſt.

4*tum*. Exempla, P. *Julius Mancinellus* magnis moleſtijs preſſus, cum deſiderium mortis, finem illis allaturæ generoſè repuliſſet, vocem de cælo audivit, quâ monebatur, DEI famulos, dum aliquid in hac vita patiuntur debere lætari, & ſpem cæleſtis gloriæ ſibi præparatæ in altera vita erigere, ſtatimq;vidit & audivit in ſpecie cẽtennium puerorum Angelos ſvaviſſimè canents. Lætare Civis Cæleſtis, quandoquidem unus es

ex electis, noli metuere longa & aspera itinera, solem urentem, & hyemem rigidam, noctem abscuram, & feras vagas, latrones occultos, saxa, foveas, famem, sitim; labores, & somnum debilem; crede prudentioribus, & mala aliorum judicia, de te ride, Civis coelestis, quandoquidem electus es, lætare ex corde. In quo exemplo ostenditur medium superandi tristitiam, ex quibuscunq; adversis ortam; nempè recordatio cælestis gloriæ, & retributionis pro amaritudinibus mundi, amore. Christi toleratis

P. Bernardinus Realinus dicebat se nunquam fuisse in *Societ: JESU*, mæstum ac tristem, nec posse esse in *Societ. JESU* melancholiam. P. *Thomas Sachez* in omni pressura ac neceessitate ad Venerabile Sacramentum recurrebat, undè magnam consolationem referebat.

3tium. Usus ejaculatoriorum.

Qua-

Quare triſtis es anima mea? & quare conturbas me? *Pſ.* 41. Anima mea exulta in Domino, & delectare ſuper ſalutari tuo. *Pſ.* 37. DEUS in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina. Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata *Pſ.* 50. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & Spiritu principali confirma me: *Ibidem.* Fiat miſericordia tua, ut conſolatur me: *Pſ.* 118. *v.* 76. Defecerunt oculi me in eloquium tuum dicentes: quando coſolaberis me: *Ibid:* Domine cæli, da mihi gaudium, pro tædio, quod perpeſſus ſum. *Job:* 7.

PRAXIS XXXVI.

De natura, motivis & mediis vanæ gloriæ.

1mum punctum. Vana gloria est appetitus laudis sibi indebitæ.

Gradus vanæ gloriæ sunt tres:

1mus. Est vana complacentia cordis, quandò quis complacet sibi in bonis, animi, aùt corporis, aùt fortunæ, de hac dicitur *Isa.* 5. Væ vobis, qui sapientes estis in oculis vestris. *2dus.* Jactantia oris, cum quispiam cogitata. dicta, aut facta sua, plus quàm par sit, commendat; de hac *Psal.* 114. Disperdat Dominus universa labia dolosa, & linguam magniloquam. *3tius.* Hypocrisis operis, cum facimus aliquid ea intentione, ut ab aliis videamur; de hac *Ps.* 56. Disperdat Dominus ossa eorum, qui hominibus placent.

Actus interni vanæ gloriæ sunt.

Existimare se majoribus talentis præ alijs esse dotatum. Velle sibi ab alijs in omnibus deferri. Nimium læta-

lætari in bono rerum ſucceſſu, & triſtari, in malo. Facilè deijci animô, ſi videaris ab alijs negligi. Non libenter aliorum laudes ferre.

Actus externi vanæ gloriæ ſunt.

Quærere occaſiones, inter loquendum, laudandi ſe ipſum. Inſinuare alijs ſua talenta, captandæ laudis gratiâ. In loquendo, agendo, & uſu rerum potiores partes ſibi arrogare, proptèr æſtimationem hominum. Exercere ſe in bonis operibus, ùt ab alijs habearis bonus. Vituperare dicta & facta aliorum.

2mum punctum. Motiva vanæ gloriæ fugiendæ.

1mum. Quia vana gloria privat hominem omni laboris mercede. De qua Chriſtus Dominus *Matt*: 1. dicit: Amen dico vobis, receperunt hi mercedem ſuam.

2dum. Quia attribuit ſibi ea, quæ pro-

propria sunt DEO dicenti: Gloriam meam alteri non dabo.

3tium. Quia vana gloria pejor est; alijs vitijs ex his capitibus 1mo. Quia alia vitia sunt uniformia, hoc est; varia, cum ab omni parte impetat, & in omni actione versetur 2do. Quià alia sunt manifesta, hæc, sub specie virtutis decipit. Undè *Cassianus* vocat illam, scopulum in mari tectum, quem, cum non viderint, qui navigant, subitò naufragium patiuntur. 3tio. Quià cætera vitia tepidos impetunt, hæc verò quò quis laboriosiùs ad perfectionem contendit, eò callidiùs illi insidiatur.

3tium punctum. Media vanæ gloriæ evitandæ.

1mum. Ex parte nostri consistit in his. 1mo. Ut sæpius introspiciamus nosmet ipsos, quàm simus miseri, ratione corporis & animæ, quàm proclives ad malum, quàm incon-

stan-

ftantes in bono, quàm innumeris periculis expofiti. *2do.* Ut caveamus in laudem noftram dicere, imò ut plus elaboremus cælare virtutes, quàm vitia. *3tio.* In omnibus actionibus noftris rectam intentionem habeamus, ufurpando S. P. N. Ignatij *Ad majorem DEI gloriam*, volo hoc agere, aut pati.

2dum. Ex parte laudis humanæ & æftimationis: tum quià hæc eft adinftâr exigui fumi, citò evanefcentis, & nihil affert, quô fias, melior, fed talis remanes, qualis es in oculis DEI. Tum quià laus humana eft valdè vilis, merces multorum bonorum.

3tium. Ponderanda exmpla fugientium vanam gloriam. S. P. *Ignatius* tefte P. *Confalvo* dedit pænitentiam fuo Confeffario. P. *Didaco.* ut tribus diebus per tres pfalmos di-

ſciplinam faceret coram alijs, coram quibus laudes S.P.N. *Ignatij* dixerat.

4*tum.* Uſus ejaculatoriorum.

Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam *Pſ:* 113. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio O! Beata Trinitas! Laudem dicite DEO omnes ſervi ejus. *Apoc:* 19 Laudationem Domini loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomini Sancto ejus *Pſ.* Repleatur os meum, laude ut cantem gloriam tuam *Pſal.*

SECUNDA PARS PRAXIUM
De inserendis Virtutibus

PRAXIS I.
De natura, motivis, & medijs Amoris erga DEUM.

1mum punctum. Amor ergà DE-
UM est virtus, quâ ipsum non ob
timorem pænæ, nec ob spem præ-
mij, sèd proptèr se ipsum, ob suamq;
bonitatem diligimus. Quòd S. *Au-
gustinus* indicat, illis verbis: chari-
tas (inquit) est virtus, conjugens
nos DEO, qua ipsum diligimus; dili-
gimus inquam propter se ipsum.

*Gradus amoris DEI à S. Ber-
nardo assignantur tres.*

1mus.

1mus. Eſt ſolius DEI voluntatem, & majorem gloriam in omnibus actionibus quærere, totum affectum ab omnibus creaturarum intrinſecarum oblectamentis avocando, & in ſolo DEO illum collocando, illud ſempèr præ oculis habendo Auguſtini dictum: minus te amat, qui te cum aliquid amat, quòd non propter te amat *Lib*: 10. *Conf*: *cap*: 29. *Item*: Amemus unum bonum in quo ſunt omnia bona *cap*: 17. *2dus.* Eſt: non ſolum omnia bona exteriora, ſed etiam ſe ipſum obliviſci, ac deſpicere, non aliter ſe amando, quàm in DEO, per DEUM & propter DEUM, ità, ùt de bonis naturæ, gratiæ, & gloriæ â DEO acceptis *v.* accipiendis, non ideò læteris, quôd in tuam utilitatem cedant, ſed quòd Divinum beneplacitum adimpleatur, de quo S. Bernardus: hoc (inquit) modo nos DEUM diligamus oportet, ut feciſſe

liquet

liquet eum, qui dicebat: Confitemini Domino quoniam bonus est; non agit: quoniam mihi bonus est, sed tantum quoniam bonus est *Ps.* 117. *v.* 1. 3*tius.* ac supremus est: Quando iam quis (inquit: S. *Bernardus*) operatur, non ùt ipse DEO placeat, sèd quiá placet ipsi DEUS, vel quià placet DEO, quòd operatur. Ut nimirum solam DEI voluntatem ac delectationem in opere suo spectet, sui ipsius verò penitûs obliviscatur. Alij, tres alios gradus colligunt ex illis Christi verbis. *Joan:* 14. *Si quis diligit, me sermonem meum servabit.* 1*mum.* Assignant in hoc: cum quis servat Divinos sermones in præceptis & legibus proprij statûs, contendit ob timorem pænæ. 2*dum.* Ob mercedem vitæ æternæ. 3*tium.* Purè ob amorem DEI adinstar filiorum bonorum. Quòd spectat od actus Charitatis, hi dividuntur 1*mo.*
in

in elicitos, & imperatos. Eliciti sunt: qui, ab habitu ipso Charitatis eliciuntur vg. Amo te DEUS meus super omnia. Imperati verò dicuntur, qui, ad ipsum imperium charitatis, ab alijs virtutibus eliciuntur, vg. humiliare se, obedire, pati, ex amore DEI. 2do. eliciti sunt: alij proprij aliquarum virtutum, alij: indiferentes, ùt dormire, ambulare, comedere, &c. 3tio. Actus Charitatis, sicût & aliarum virtutum, alij; sunt interni alij: externi.

Actus interni: amoris erga DEUM.

Amare DEUM apretiativè suprâ omnes res creatas cum Davide dicendo: Quid mihi est in cælo, & a te, quid volui super terram. Amare DEUM citra omne præmium, quia est summè bonus. Infinita bonitas amo te non nisi propter DEUM. *Item Job:* 13. etiamsi occideris me in te ego sperabo.

rabo. Gaudere de Divinis attributis: omnipotentia, ſapientia, bonitate, juſtitia, miſericordia, &c. vg. Gaudeo DEUS mi, quòd ſis infinite bonus, ſapiens &c. Deſiderare ita DEUM amare, ſicut illum Sancti amant: utinam mi DEUS amare poſſim, ſicùt te amant Sancti tui, Beatiſſima Virgo MARIA, & Chriſti humanitas, imò ſicùt te ipſum amas. Deſiderare ut omnes eum agnoſcant, ament, & glorificent. Utinam DEUS mi, omnes homines amarent te, & nullus offenderet. Deſiderare omnium creaturarum facultates ad amandum DEUM habere. Utinam Domine DEUS mi, tot corda ad amandum te, & lingvas ad laudandum te haberem quòt ſtellæ in Cælo, arenæ in mari, folia in arboribus, iſtis te omnibus amare vellem. Deſiderare, ut ſit tibi omnium hominum, & Angelorum, dona naturæ, gratiæ, & gloriæ ad-

ef-

adessent, omnia tibi offerre vellem. Desiderare soli DEO uniri vg. utinam tu solus cor meum possideas, te solum quærerem, tibi afficerer, tibi indissolubilitèr adhærerem. Desiderare sibi deficere, Deumq; totalitèr amare; utinam â me ipso totus deficiam, & totus in tui amore absorbear.

Actus externi amoris erga DEUM.

Actus amoris erga DEUM externi, alij sunt sermonis, seù vocis, alij operis. Vocis sunt, qui, voce efferuntur; inter quos habentur sequentes. 1mus. *Petitionis* accende lumen sensibus, infunde amorem cordibus. 2dus. *Gratitudinis* Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus. 3tius. *Laudationis* Benedicite omnia opera Domino, laudate & superexaltate eum in sæcula. 4tus. *Adorationis* Omnis

ter-

terra adoret, & psallat tibi, psalmum dicat, nomini tuo Domine. ℣tus. *Oblationis.* Suscipe servum tuum in bonum, ut serviat tibi.

Actus operis, qui amore DEI exercentur, sunt isti.

Vitare peccata non tantùm gravia, sèd etiam levia, imò imperfectiones. Facere actiones ordinarias purè amore DEI, Vota & regulas minimas ad eundem finem exactè servare; pro offensa pœnas de se sumere. oblectamentis sensuum privare se amore DEI Adversa in honore, & corpore, èx animo propter DEUM tolerare. Ut ab alijs DEUS laudetur, elaborare, ministeria *Societatis* diligentèr exercendo.

2dum. punctum. Motiva amoris DEI. Inter alia sunt hæc.

1mum. Quia amor DEI magna commoda affert homini; quorum *1mum.* Est Quià sicùt anima corpus,

sic

ſic charitas cæteris virtutes informat, ſinè qua non vivunt, 1. *ad Cor:* 13. Si lingvis hominum loquar, *&c.* 2*dum.* Quia operit multitudinem peccatorum ut in Magdalena. 3*tium* Quia deligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum.

2*dum.* Quià ut DEUM amemus, exigunt id, à nobis beneficia, naturæ gratiæ, & gloriæ.

3*tium.* Quià DEUS infinitè eſt bonus à quo velùti a mari proveniunt cætera bona. Cur ergo o! anima hæres in rivulis, cum mare ſit propè. Si enim (inquit S. *Anſel*) aliquid diligo quià bonum, quòd meliùs millies, magis amare debeo. Indè S. P N. *Ignatius dicere* ſolebat (Teſte *Rybadeneira Lib:* 5. *cap:* 1.) Domine quid ego præter te volo, aut quid velim? in quo imitatus eſt Habrahamum *Geneſ:* 14. dicentem: Propter DEUM hoc feci: DEO ſum contentus; & *David*

Pſal:

Psal: 72. Quid mihi eſt in Cælo &c. Et S. *Thomam Aquinatem* optantem & dicentem: Da mihi Domine cor nobile, quod nulla deorſum trahat affectio. P. *Ludovicus de Ponte* diceb t: parum eſſe amare DEUM plus, quàm creaturas. Sicut inquit, parum eſſet, ſi famulus Regi ſuo diceret:amo te plus,quàm lutum; quia omnis creatura reſpectu DEI ſummi, minus quam lutum eſt.

3tium. punctum. Media acquirendi DEI amorem.

1mum. Propoſita exercendi ſeſe in actibus amoris DEI & gradibus, in quotidianis meditationibus facere,& executioni mandare.

2dum. Examen particulare de ſingulis gradibus & actibus amoris diligenter inſtituere, quòd in alijs omnibus virtutibus ſervandum eſt.

3tium. Frequentius ſe indiès exer-

cere in varijs actibus eliciendis, amoris DEI per breves aspirationes & oratiunculas ejaculatorias. Ardentes ad hunc finem, præparatas ex Sacra Scriptura & SS. PP. aut à se ipso formatas *vg.*

Mihi autem adhærere, DEO bonum est. Sitivit in te anima mea. DEUS meus & omnia. *Ps.* Desidero te DEUS millies quando venies. Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum donèc requiescat in te. S. *Augustinus.* In tantum DEUM diligimus, inquantum præcepta ejus observamus. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam sub umbra alarum tuarum. Jesus sim totus tuus, & tu meus in æternum. O. JESU mi dulcissime spes suspirantis animæ. S. *Bern:* Benedictus sis DEUS in æternum & ultra, DEUS meus & omnia S. *Franciscus Sera:* Se-

ro te

rò te amavi pulchritudo antiqua, ſerò te amavi, S. *Auguſtinus*. Da mihi, ut te amem ſemper, quantum volo, & quantum debeo. *Idem:* JESUS & MARIA dulciſſimi amoris mei: Vivam ego, patiar ego, moriar ego amore Veſtri, totus ſim veſter, nullus meus. *Alf. Rodr:* O bone! JESU exaudi me, intra vulnera tua abſconde me, ne permittas me ſeparari à te S. P. N. *Ignatius.*

PRAXIS II.

De natura, motivis, & medijs, Amoris erga proximum.

1mum punctum. Amor erga proximum eſt virtus, quâ omnes proximos tam amicos, quàm inimicos diligimus, propter DEUM.

Gradus amoris proximi ſunt tres.

1mus. Eſt: Nihil mali inferre cogitatione temerè judicando, verbô

lædendo, opere nocendo. 2dus. Onera illius ferre juxta Apost: *alter alterius onera portate.* 3tius. Benè illi velle & facere, cum potes, idq; purè ob amorem DEI.

Actus mutui amoris sunt hi interni.

Aversionem animi non fovere, sèd ortam statim tollere & offensam ignoscere. Dicta & facta proximi in bonam partem interpretari. Compati malô proximi, & de bono ex corde, & sincerè gaudere. Optare proximo veniam, gratiam, & gloriam. Suspiciones non face e. Invidiam de bono proximi successu mortificare.

Actus externi mutui amoris sunt hi.

Orare pro varijs hominum statibus. Occupare se seriò in ministerijs *Societ:* eò fine, ut possis prodesse proximo. Nihil unquam de dese-

defectibus aliorum finistrè loqui. Præbere se omnibus affabilem, & exemplarem in dictis & factis. Juvare quoad licet proximo in necessitatibus tam spiritualibus, quàm corporalibus. Vitare singularitates familiares.

2dum punctum. Motiva amoris erga proximum acquirendi.

1mum. Quia obligamur ad id lege naturali, Divina & Religiosa. *Naturali Matt* 7. Quæcunq; vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. *Adde.* Quod etiam feræ similes sibi in specie diligant *Divina.* *Joan:* 15. hæc mando vobis, ut diligatis vos invicem, sicut dilexi vos *Religiosa* Quia S. P. N. *Ignatius* In charitate voluit *Societ.* fundare, & perturbatores hujus unionis, veluti pestem, & membra arida jubebat præscindi. Prætereà quod omnes Religiosi unius Domini ac Matris

sint, unam mensam, corporalem & spiritualem frequentant, omnes à Christo & Beatissima Virgine MARIA diliguntur, & idem jus ad Beatam æternitatem habent, à Christo Domino sibi datum: Vos qui reliquistis omnia, centuplum recipietis, & vitam æternam possidebitis.

2dum. Tum quia fortè sunt (ut ait S. *Augustinus*) in gratia, & ego non. Tum quià, & nos ab illis amabimur; secùs, si illos persecuti fuerimus, sivè judicando, sivè obloquendo, sivè aliquô aliô modô illis nocendo, novit DEUS, per alios talionem reddere: ut patet in vita S. *Ephr.*

3tium. Quià mutuæ Charitatis observatio est necessaria, utilis & facilis *necessaria.* Quia omnia mala præcepta continet juxta *Apost: Romanorum* 16. docentem: quod plenitudo

tudo legis sit dilectio proximi. *Utilis.* Quià diligengo proximum, ejus bona, nostra facimus. *Facilis* Quia ut ait S. *Laur. Justinianus.* Ab omnibus potest impleri, à paupere & divite, ab infirmo & sano. Legitur in vita P. *Claudij Allobrogis* ferventi charitate proximi præditi, quam alacrem suam operam impendebat proximis. Quidam, cum ad impendendam alicui suam operam vocaretur, dicere solitus fuerat. Domine JESU habe patientiam mecum, quià vocor ad exercendum opus tuæ charitatis, erga animas tuo pretioso sangvine redemptas: & cum opus istud te adjuvante perfecero, redibo, cum fænore, & omnia reddam tibi.

3tium punctum. Media acquirendi amorem erga proximum.

1mum. Omnes magnifacere, considerando, in illis Personam Christi,

ſvavitèr alloquendo, honore præveniendo, primas illis partes deferendo, & à verbis charitatem lædentibus abſtinendo.

2dum. Erga eos à quibus aliquid paſſus es, ſic te geras. *1mo.* Animum vindictæ comprime, & injuriam proptèr Chriſtum Crucifixum condona. *2do.* Conſortium illorum non vitare, & vultum benignum exhibere. *3tio.* Beneficium aliquod illis exhibere, ſivè corporalè ſivè Spirituale, ſivè per ſe, ſivè per alios.

3tium. Uſus ejaculatoriorum.

O! Beata Trinitas & indiviſa unitas, da mihi veram Charitatem. Da Domine, ut te in proximo meo, non verbô, & lingvâ, ſed opere & veritate diligam. Utinam te DEUS meus omnes homines agnoſcant, & diligant in proximis.

PRAXIS III.

De natura, motivis & medijs Castitatis.

1mum punctum. Castitas est virtus, qua moderantur carnis voluptates.

Gradus Castitatis sunt tres.

1mus. Horrere omnes, etiam levissimos defectus in actionibus, lectionibus, locutionibus, & cogitationibus, quæ nitorem puritatis possent aliquô pulvisculô inficere. *2dus.* Magnô amore affici ad hanc virtutem *3tius* Ità diligenter & resolutè ùti mediô ad optinendam Angelicam puritatem, ut nè quidem in medijs occasionibus titillatione aliqua exagitemur, accedente Divinâ gratia.

Actus interni castitatis sunt.

Phantaſmata nocturna, & cogitationes turpes undècunq; venientes, illicò reijcere. Deſideria inſurgentia carnalis voluptatis ſtatim elidere. Motus turpes corporis ſtrenuè comprimere. Affectum inordinatum ad res ſenſuales cohibere. Propoſitum firmum hac in re non offendendi DEUM ſæpius renovare, memorem eſſe ſtatûs ſui & vitæ.

Actus externi caſtitatis.

Oculos diligentiſſimè amore caſtitatis cuſtodire. Nullam illam partem cuſtodire, nullam illam partem corporis nudam videre, quàm vetat pudor. A tactu etiam inpruritu cavere. Mortificare corpus inediâ, ſiti, & aſperitate veſtium. Uti frequenter diſciplinis & ciliciјs. Minimas occaſiones inordinati affectûs vitare.

2dum punctum. Motiva acquirendæ caſtitatis. *1mum.*

1mum. *Ex præstantia* castitatis ob hæc: 1mo. Quia hominem quodammodo restituit primo statui, subjiciens carnem spiritui. 2do. Quia educit hominem à functione bestiarum ad similitudinem Angelorum, imò etiam ipsius DEI (ut dicit S. *Basilius*) Qui est incorporeus, & incorruptibilis, 3tio. Quia castitas inter eximia DEI dona, numeratur. *Sap*: 8. Quoniam, inquit, aliter non possum esse continens, nisi DEUS det.

2dum. *Ex utilitate*: Quia liberat hominem, tum â molestissimis vexationibus, quæ multos Sanctos, imò & *Apostolum Paulum*, ita afflixerunt, ut diceret: infelix ego homo, quis me liberabit &c. tum à periculis, quibûs multi *fortes*, ùt Samson, *sapientes*, ut Salomon, *Sancti*, ut David, succubuêre.

3tium. *Ex necessitate*. Quia nihil ita

deturpat, & obſcurat bonam famam Religioſi, quàm ſi contra caſtitatem advertatur, etiam vel minimum delinquere, imo tales Religio, velut mare cadavera non vult occultare, ſed eijcit. P. *Balthaſer Alvarez*, caſtitatem, cuſtodiendo oculos, colendo B. Virginem MARIAM, & exercendo mortificationem continuam, in triplici gradu à S. *Bonaventura* deſcripto, aſſequutus erat. *Gradus autem ſunt hi*: 1*mus*. Reſoluta voluntas DEUM in hac materia non offendendi 2*dus*. Rara tentatio, & facilis victoria. 3*tius*. Extinctæ ad omnem inordinatum affectum paſſiones.

3*tium*. *punctum*. Media acquirendæ caſtitatis.

Conſiſtit in his: 1*mo*. In pænitentia tam interna per contritionem & mortificationem paſſionum, quàm externa per aſperitatem corporis in

in jejunio disciplinis &c. adhibitam.

2dum. In diligenti custodia sensuum, præcipuè oculorum, aurium, & lingvæ.

3tium. In duplici fuga nempè occasionum imprimis, uti sunt: otium, familiaritates, et lautiores mensæ. Deindè cogitationum fædarum, ut statim illis fortiter resistatur.

4tum. In cura minimorum circa hanc materiam, ut nimirum minimos defectus explicitè confiteamur, docente id S. *Bonaventura*. Tum in manifestatione talium tentationum, tum in recursu per orationem ad Christi Domini passionem, B. V. MARIAM, S. Angelum Custodem & SS. Patronos.

5tum. Exercere se in virtutibus, quæ custodiunt castitatem; uti est: *una* Vigilantia in custodia cordis.

2da. Modestia *3tia* Humilitas. *4ta.* Devotio erga Venerabile Sacramentum, & Beatissimam Virginem MARIAM.

Usus ejaculatoriorum

Sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. *Ps.* 6. Non est sanitas in carne mea *Ps.* 16. Cor mundum crea in me DEUS *Ps.* 50. Confige timore tuo carnes meas *Ps.* 118. Domine posside renes meos *Ps.* 138. Fiat cor meum & corpus meum immaculatum. *Ps.* 118. Per immaculatam conceptionem tuam, purissima Virgo MARIA emunda cor & carnem meam.

PRAXIS IV.

De natura, motivis, & medijs Conformitatis cum Divina voluntate.

1mum punctum. Conformitas voluntatis humanæ cum Divina est, id velle quod DEUS vult, & nolle, quod DEUS non vult.

Gradus illius sunt tres.

1mus. Est circa bona honoris & favoris humani spernendo illum, amore DEI, imò paratum esse ad ferendas injurias, contumelias &c. quod a nobis exijt S. P. *Ignatius Exam: cap: 4.* *2dus.* Circa bona corporis ut est sanitas & reliqua commoda, temporis, loci, occupationis, victûs, vestitûs, ad quæ indifferenter se homo debet habere, prout videbit voluntatem DEI inclinari. *3tius.* Circa bona animi triplicia: naturæ, gratiæ, gloriæ. In quibus omnibus dispositione Divina debet esse contentus pro tempore & æternitate, prout Divinæ voluntati placet. disponere ad suam majorem gloriam.

Actus conformitatis humanæ voluntatis cum Divina.

Velle & facere omnes actiones ad nutum Divinæ voluntatis. Nihil aggredi, nisi imploratô Divinô auxiliô vg. DEUS in adjutorium meum intende. Ferre adversa patienter, tum quia DEUS videt, tum quia DEUS vult. Aggredi generosè ardua pro honore DEI. Fiduciam habere in rebus arduis. Avocare animum ab illis bonis, quæ sunt apparentia. Esse paratum æquè ad penuriam atq; abundantiam ferendam. Non deijci adversis, nec extolli prosperis, In rebus dubijs paratum esse ad illam partem, quam DEUS vult. In rebus ubi constat de DEI voluntate, statim illam amplecti.

2dum punctum. Motiva conformitatis sunt.

1mum. Necessitas quia omnia, quæ-

cunq;

cunq; in Cælo, aëre, terra, aqua voluntati DEI subsunt.

2dum Utilitas Quia per hanc resignationem magna tranquilitas acquiritur. *1mo.* Quia hæc conformitas ipsum DEUM nobis obstringit.

3tium. Quia sic nulli errori subesse possumus.

4tum. Est summa perfectio.

5tum. Quia nil ita potest satiare hominem, quàm hæc resignatio in Dominum DEUM.

6tum. Exemplum Christi Domini, & aliorum Sanctorum.

Franciscus Schlingisbar ita se voluntati Divinæ conformaverat, ut nec optaret sanitatem nec refugeret infirmitatem, si DEO placeret, imò quamvis diceret libentissimè se moriturum, si tamen DEI voluntas & major gloria esset; eligeret gravissimis doloribus per totam æternitatem cruciari. *3tium.*

3tium. punctum. Media acquirendæ conformitatis voluntatis propriæ cum Divina.

Consistit in his: *1mum.* In fuga minimorum etiam peccatorum & observatione Regularum. *2do.* Abnegare se etiam in minimis, & quæ pacem turbant vitare. *3tio.* Recurrere sæpius ad DEUM in omnibus necessitatibus. *4to.* In omnibus committere se Divinæ Providentiæ, præcipuè quo ad locum, occupationes, personas *5to.* Alios non judicare, illorum juditia de se contemnere, & transitoria minime curare.

2dum. Hæc complectitur. *1mo.* Fingere sibi vel hâc vel illâ carere consolatione, honore, scientiâ, commodis, hanc vel illam tentationem; injuriam ferendam, huc vel illuc migrandum, quæ omnia tanquam a DEO immissa ex amore illius eligere.

re. 2do. Certîs temporibus vg. initiô anni, aut mensis v. hebdomadæ vel diei providere, quæ nobis possunt occurrere adversa, & ad illa subeunda se amore DEI resolvere. 3tio. Actiones ordinarias expedire rectè, diligenter, ordinatè 4to. Amare solitudinem cordis, & se negotijs non spectantibus non implicare. 5to. Respectus humanos contemnere.

4tum punctum. Usus ejaculatoriorum.

Paratum cor meum DEUS, paratum cor meum *Ps.* 56. Ecce ego in flagella paratus sum. *Ps.* 37. Calicem salutaris accipiam & nomen Domini invocabo 115. Quis ego sum, ut contradicam Domino meo. *Judith*: 12. Omne quod erit ante oculos tuos bonum & optimum, faciam. *Ibi*: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedi-

nedictum. *Job:* Magister sequar te quocunq; jeris *Matt:* 8. Non mea sed tua voluntas fiat. *Matt:* 26. Fiat voluntas tua sicut in Cælo, & in terra. *Matt:* 5. Domine quid me vis facere. *Actor.*

PRAXIS V.

De natura, motivis, & medijs, conversationis.

1mum punctum: Conversatio est familiaris tractatio cum hominibus.

Gradus conversationis sunt tres.

1mus. Propositum vitandi defectus, qui proximum offendere, & alienare possunt *vg.* Superbia, ira, in dictis, factis & gestibus. *2dus.* In conversatione ipsa curare humilitatem, affabilitatem. *3tius* Contendere ex puro erga DEUM amore, & proximum, ut ex nostra con-

ver-

versatione, melior efficiatur.

Actus interni Conversationis.

Præfigere intentionem, DEO proximum lucrandi, bono exemplô. Desiderare lucrari proximum, ne sangvis Christi gratis sit effusus. Agnoscere obligationem statûs sui pro conversione proximi. Implorare Divinum auxilium, ut simus sal terræ, lux mundi.

Actus externi conversationis sunt:

Semper de rebus spiritualibus loqui. Loquacitatem, scurrilitatem, impatientiam, curiositatem, duplicitatem, & affectationem, vitare. Modestiam corporis & munditiem habitùs procurare. Ex rebus indifferentibus dextrè ad spiritualia descendere.

2dum punctum. Motiva conversationis sunt hæc.

1mum. Quia Religiosi spectaculum

lum factí sumus mundo, Angelis & hominibus. Unde S. *Bonaventura:* servum DEI (inquit) de DEO loqui decet: & certè, sicut turpè est, si Rhetor benè loqui, Agricola arare, Miles militare, Nauta navigare, nesciret; ita non minus indecens est, si Religiosus existens in schola virtutum, exemplariter non viveret.

2dum. Externi homines eò finè Religiosos adeunt, ut ab illis exemplô bonô, & spirituali doctrinâ, pascantur.

3tium. Quia id exigit exemplum Christi Domini, S. P. N. *Ignatij*, & aliorum SS. Item monita gravium Virorum, ac Sanctorum, uti erat S. Xaverius, qui relinquens in loco suo P. *Barsæum*; Memor sis(inquit) *Sotiet:* membrum te esse, cura in omnibus factis, dictisq; tuis, ut tali capite & corpore dignus existas,

P. ve-

P. vero *Balthaſar Alvarez* docebat: Debere homines à Religioſis abire percutientes pectora ſua dicentes: Verè Filij DEI ſunt iſti. S. *Xaverius* quomodo ſe accomodabat, non ſtatim vitia carpendo, ſed prius laudabat ea, quæ poterant laudari. P. *Didacus Martinez* Ita in converſando erat acceptus, ut omnes ad illum pro ſolatio domeſtici & externi accurrerent. Undè per duos annos plures quam decem millia baptiſavit.

3*tium punctum*. Media acquirendæ converſationis.

1*mum*. à *S. P. N. Ignatio* traditum conſiſtit in his: 1*mo*. Contentionem vitare. 2*do*. Patienter ferre contradictiones, & inſulſos ſermones 3*tio*. In negotijs tempus poſtulare. 4*to*. Ita loqui privatim, ac ſi omnia publicanda forent. 5*to*. Pauca & tardè loqui auditis aliorum longis diſcur-

ſcurſibus. *6to.* Accomodare ſe omnibus, cum lætis lætùm & *7mo.* Compaſſionatis moderatè. *8vo.* Non ſtatim ad ſumma venire, ſed gradatim, ſvaviter ad ulteriora progredi. *9no.* Cavere in cibo & potu & alijs commoditatibus exceſſum.

2dum. Ex eodem S. P.N. Ignatio hoc in converſatione (inquit) noſtrorum, illud in univerſum dici poteſt, ut in omnibus externis actionibus appareat in noſtris modeſtia & humilitas, conjuncta cum maturitate Religioſa.

3tium. Uſus ejaculatoriorum, quos immodeſtia vide.

PRAXIS VI.

De natura motivis, & medijs. Devotionis.

1mum.

1mum. punctum. Devotio est promptitudo mentis, in his omnibus, quæ ad Divinum obsequinm & cultum pertinent.

Gradus devotionis sunt.

1mus. Agere res pro DEO humiliter. *2dus.* celeriter. *3tius* hilariter.

Actus interni devotionis sunt.

Exercere se in actibus contritionis. Ascendere ex rebus creatis ad Creatorem. Adhibere in actionibus præcipuè Divinis attentionem & reverentiam. In omnibus necessitatibus recurrere ad DEUM. Elicere actus internos variarum virtutum.

Actus externi devotionis sunt.

Actiones ordinarias spirituales cum intentione pura, actuali & cum fervore expedire. Ad susceptionem Sacramentorum diligenter se parare. Ministeria culinæ: refectorij

exactè obire. Sensus exteriores amore DEI mortificare. Orationes frequentiores usurpare.

2dum punctum. Motiva devotionis seu fervoris in Divino servitio sunt hæc:

1mum. Quia vocatio & multa beneficia DEI id à nobis exigunt, ut illi devotè serviamus.

2dum. Quia indevoti & tepidi, multa damna incurrunt, ferventes verò innumeris donis à DEO replentur in corpore & anima.

3tium. Quia devotionem requirit à nobis consideratio attributorum Divinorum *vg.* DEI majestatis, præsentiæ, Domini providentiæ, munificentiæ, sapientiæ, pulchritudinis, svavitatis, liberalitatis, amoris *&c.* de quibus lege *Epistolam* 13. *P. Claudij Aqvavivæ vg.* etiam inter molestissima negotia eximiam habebat devotionem, quam continuis medi-

tati-

tationibus, & officij Divini recitatione attentissimè fovebat. *In vita ejus.*

3tium. punctum. Media acquirendæ devotionis.

1mum. Ex S. Augustino Lib: de Spiritu & animo *Cap*: 5. Consideratio beneficiorum DEI, præcipuè Passionis Christi, & propriorum defectuum, pro omnibus dolor excitari debet. Meditatio (inquit) parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio devotionem, devotio perficit orationem. Compunctio est, quando ex consideratione malorum suorum cor interno dolore tangitur. Hæc ille.

2dum. Recollectionem post quamlibet facere actionem, in qua tria sunt. *1mo.* Discutere opus per peccatum exemplô S. P. N. *Ignatij*, pro defectibus in illo commissis, contritionem eliciendo, & pro bono

succeſſu gratias agendo. 2*do.* Offerre opus finitum Chriſto emendandum, cum nova oblatione ſui, & reſignatione ad minimum nutum Divinæ Voluntatis, exequendum diligentiùs in poſterum.

3*tium.* Renovare propoſitum perfectiùs ordinarias actiones obeundi, & pro hoc petere auxilium Divinum, ut ſequentes actiones melius peragere poſſimus.

4*tum.* Frequentius abſtrahere mentem a curis, omnem voluntatem contemnere, & familiariter cum DEO agere per ejaculatorias orationes *vg.* Paratum cor meum DEUS, paratum cor meum. *Pſ.* 56. DEUS meus adjutor meus, & ſperabo in eum *Pſ.*

Cor mundum crea in me DEUS *Pſ.* 50. Quemadmodum cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te DEUS. *Pſ.* 41. Sicut a-

dipe

dipe & pingvedine repleatur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum. *Ps.* 62. Serô te amavi pulchritudo, tam antiqua & tam nova, ſero te amavi. S. *Aug*. o! Domine quando te diligam, quando te conſtringam S. Bonav.

PRAXIS VII.

De natura, motivis, & medijs diligentiæ.

1*mum punctum*. Diligentia eſt virtus, quæ ad omnes actiones virtuoſas hominem exſtimulat.

Gradus diligentiæ ſunt tres.

1*mum*. *eſt* Eſſe diligentem vulgariter præſtando id, quòd omnes boni præſtare ſolent. 2*dus*. Obſervatè facere opus ſicut meliores facere ſolent. 3*tius*. Summè quod optimi ſolent in ſuis actionibus obſerva-

re. Gradus 1*mus*. negligentiam crassam excludit. 2*dus*. Levem. 3*tius*. Levissimam.

Actus interni diligentiæ sunt hi.

1*mum*. Proponere singulas actiones ordinarias bene peragere. Intentionem puram facere & renovare sæpè. Auxilium Domini DEI invocare. Adhibere debitam attentionem, in executione operum. Vires omnes animi ad id quod agis applicare. Reflectere se super opus finitum, an benè peractum fuerit, si male adsit dolor, Si benè gratiarum, áctio instituenda. Offerre DEO opus peractum in unione operum Christi, B. Virginis MARIÆ, & omnium Sanctorum.

Actus externi diligentiæ.

Omnia opera suo tempore expedienda, non differenda, nec anticipando opus sine evidenti necessitate. Amovere externa impedimen-

menta, quominus res benè peragantur. Integrè omnia quo ad substantiam & circumstantias exequi, Post peractum opus factâ reflexione pro defectibus in eo commissis, pæna subeunda.

2dum punctum. Motiva adhibendæ diligentiæ in actionibus ordinarijs.

1mum. Testimonium S. Scripturæ 2. *Paralip*: 19. Agite diligenter, & erit Dominus vobiscum. Deindè Patrum. *Cempisius Lib*: 1. *cap*: *ulti*: de imitatione Christi: sine solicitune & diligentia non acquires virtutes. Et Carthusianus; DEUS (inquit) Majestatis immensæ in suo obsequio despicit indevotum, evomit tepidum, negligentem, & impium detestatur.

2dum. Damna negligentiæ. *1mo.* Quia DEUS negligenti minatur. Luc: 13. Succide illam, ut quid etiam

am terram occupat *2do.* Quia illum permittit labi in graviora peccata, & de gratia sua excidere. Undè postea remorsus conscientiæ, timor gehennæ, & innumera mala illum discrutiant. *3tio.* Quia negligentia gravem reddit disciplinam Religiosam, & sensim in periculum amittendæ vocationis adducit.

3tium. Multiplex utilitas est diligentiæ. *1mo.* Quia est efficacissimum remedium ad satisfaciendum pro peccatis, ad proficiendum in via spirituali, ad citò colligendos innumeros meritorum thesauros, cum illis qui hora undecimâ ad vineam venerunt, ad obtinendum donum perseverantiæ, & ad promovendam salutem proximi. *2do.* Quia diligentia reddit DEO amabilem, dæmoni terribilem, in vita serenum, in morte securum, in æternitate lætum *3tio.* Quia excitat pro-

ximum ad imitationem, quæ omnia bona expendens P. *Ludovicus de Ponte* ad diligenter omnia peraganda se ipsum exstimulans in luminibus meditationum reliquit hæc: Si desiderat inquit complere voluntatem DEI, non persunctoriè exequaris rem unam imperatam ut properas ad alteram.

3tium punctum. Media exercendæ diligentiæ in actionibus sunt hæc

1mum. Tria in quavis actione spectanda: 1*mo.* *DEUS* ut facta intentione majoris gloriæ illius quærendæ, ipsum opus offeratur, & peragatur inconspectu DEI tanquam Judicis, & Domini & optimi Parentis reddituri dignam labore mercedem. Ex his attentio & reverentia nascitur. 2*do.* Tu ipse qui ex te nihil potes cum à DEO magis dependeas quám radij à sole, malleus ab artifice, calamus à scriptore, ut

merito Apostolus dicat 1. *ad cor*: 12, DEUM operari omnia in omnibus inde diffidentia sui & spes in DEO erit. 3*tio*. Opus ipsum in quo hæc præ oculis habenda, nimirum attendere, tandem huic tempori & operi. *Operi*: Ut illud sic peragas ac si nihil agendum aliud tibi restaret, mortificando desiderium ad aliud transeundi. Deinde tanquam hoc opus esset ultimum post quod moriendum tibi foret. Tandem quasi (ut ait S. *Thomas*) ex uno opere tota salus nostra, omnis laus DEI, & universalis utilitas pendeat, *tempori* scilicet in operando sic cogitare, ac si tibi hæc solum horâ laborandum esset, & molestiæ laboris, etiam ulterius protrahendæ, sicut fecit ille Monachus tentatus à gula qui ab hora ad horam distulit refectionem usq; ad vesperum.

2dum. Hoc medium cum multa alia complectatur, licebit, quodcunq; alicui arriserit accipere & dirigere omnes actiones, ad actiones Christi Domini B. V. & omnium Sanctorum præcipuè tui ordinis curando ut actiones tuæ similes sint eorum actionibus, quo ad substantiam, modum, & alias circumstantias imiteris. Deindè juxta exigentiam Regularum, & ordinariorum operum.

3tium. Usus ejaculatoriorum.

Portio mea Domine custodire legem tuam. *Ps*. 118. In capite libri scriptum est de me ut facerem voluntatem tuam. *Ps*. 39. Tuus sum Domine, salvum me fac, quoniam justificationes tuas exquisivi. *Ps*. 118. DEUS in adjutorium meum intende. *Ps*. 69.

PRAXIS VIII.

De natura, motivis, & mediis Executionis propositorum.

1mum punctum. Executio propositorum est actus virtutis quando quis ea, quæ in animo statuit ad effectum deducit.

Gradus illius sunt tres.

1mus. Est resolutio voluntatis præstandi ea, quæ statuimus *2dus.* Est fortitudo in supra dictis difficutatibus circa executionem occurrentibus. *3tius.* Est delectatio quædam animi in executione etiam difficillima,

Actus executionis vid: diligentia.

2dum punctum. Motiva executionis propositorum.

1mum. Desumitur à triplici necessitate *1ma.* est: Quia id DEUS exigit à te, qui intellectum illumina-

na-

nâvit & voluntatem inflammavit, ut quæ illi grata cognovisti, quàm primum exequaris. 2da. Quia sine executione propositorum perfectio non acquiritur. 3tia. Quia negligentibus proposita bona Christus minatur *Apoc:* 3. Quia tepidus es & nec calidus nec frigidus, incipiam te evomere ex ore meo, meritò servus qui agnoscit voluntatem Domini & non facit, vapulabit multis. *Luc:* 12.

2dum ab utilitate. Quia per executionem propositorum, habitus mali & passiones inordinatæ subjugantur. *2do.* Tentationes vincuntur. *3tio.* Tranquillitas mentis ac perfectio acquiritur.

3tium. â damnis procrastinantium & negligentium proposita. *1mo.* Quia per dilationem & negligentiam propositorum, difficilior emendatio redditur, tum quòd magis

gis debilitentur, animæ vires spirituales, quæ adinstar timidi infirmi supterfugit acrimoniam medicinæ, tum quod firmius radicantur mali habitus, si non statim extirpentur: tum quod hostis diabolus majorem audaciam tentandi nos assumit, cum videt nos segniores in executione bonorum propositorum 2do. Quia gratis tempus consumimus, quod nobis (ut ait) S. *Bernardus* concessum est, ad impetrandam veniam, ad obtinendam gratiam, ad promovendam gloriam, quam inutilis ille servus, qui talentum Domini abscondit. 3tio. Quia ingratos nos ostendimus, abutendo ejus misericordia.

3tium punctum. Media executionis propositorum.

1mum. Vitare ea, per quæ solent debilitari proposita, cum statim impleri possint, 1mo. Ne differantur in ali-

aliud tempus, cum ſtatim impleri poſſint. *2do.* Ne facile ſub pretextu neceſſitatis, aut palliatæ virtutis ſinamus nos à via propoſiti abduci. *vg.* à mortificatione ſub velo ſanitatis, à ſilentio ſub ſpecie humanitatis, à paupertate ſub virtute Charitatis. *3tio.* Nè unquam latum propter reſpectus humanos patiamur dimoveri à benè cæptis *4to.* Ne ſenſim laxemus habenas ſenſualitatibus trahendo benignam regularum interpretationem in favorem noſtrum *5to.* Ne laxioris vitæ Socijs adhæreamus, ſed potius diſciplinæ amantibus, cum ſicut exempla multum ad malum, ita ad bonum valeant multum.

2dum. Curare ea, quæ juvant ad ſtabilienda in ſuo vigore propoſita. *1mo.* Frequenter recurrere per orationem cum diffidentia ſui, & fidutia in DEUM pro obtinendo

ejus

ejus auxilio ad executionem propositorum cum ipse dicat: sine me nihil potestis facere. *Joan:* 2*do.* Sensim executioni rem mandare; non differas (inquit *Pater Ludovicus de Ponte*) in suis luminibus, executionem tuorum propositorum ad tempus, quia si nunc non facis, quæ potes, reliquis diebus minus poteris. 3*tio.* Renovare sæpè proposita præcipuè in sacro, singulis diebûs aut ad minimum hebdomadis aut mensibus offerendo illa DEO. 4*to.* In quotidianis meditationibus assignare sibi pro fructu executionem propositorum prædictorum, imo expedit singulis mensibus, initio cujusq; mensis in meditatione instituere super præcipua proposita, quomodo illa observaveris, uti etiam motiva sivè antiqua renovando, sivè nova ad perfectiorem executionem illorum 5*to.* Multum

tum juvat liberiorî tempore relegere propoſita, cum reflexione ad obſervationem illorum. *6to.* Adhibere certos arbitros propoſitorum, quod tribus modis poſſet fieri *1mus.* eſt: Si hoc N. vel illud N. ſtatueris, te *vg.* in honorem B. V. MARIÆ; Angeli Cuſtodis, aut alicujus tui Patroni, certô tempore, ſervaturum. *2dus.* Si quando illud tranſgreſſus fueris, Superiori vel P. Spirituali manifeſtaveris aut ad minimum ſingulis menſibus cum ad colloquium veneris, dixeris, quomodo ſervaveris tua propoſita *3tio.* Si monitorem tibi fidelem delegeris, qui te deffectuum contra propoſita factorum admoneret. Sicut fecit P *Ignatius Balſamus Italus* qui ſingulis annis unum Patrem monitorem adhibebat, ut ſe de erratis admoneret; & alij multi ſimiliter fecerunt. *7mo.* Si contingat quacunq;

cunq; ex causa violare te proposita, ne cadas animô sed fac sequentia: 1mo. Agnosce tuam fragilitatem coram Divina Majestate, de defectu dole, seriam emendationem propone & aliquam voluntariam assume. 2do. Concipe magnam fiduciam in DEUM, qui lapsos, cum spe, fiducia, & humilitate, ad se redeuntes, solet non solum à lapsu eruere, sed majoribus gratijs cumulare. Ex tot medijs sufficit aliqua, quæ cuiq; placebunt, pro usu deligere.

3tium. Usus ejaculatoriorum.

Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas. *Ps.* 118. Justificationes tuas custodiam, non me derelinquas usq; quaq; *Ibi:* In æternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me *Ibi:* Juravi & statui custodire juditia justitiæ tuæ *Ibid.*

PRA-

PRAXIS IX.

De natura, motivis, & medijs. Fidei.

1mum punctum. Natura fidei rectè ab Apoſtolo: *Ep:* 2. *ad Hæbr:* 11. deſcribitur ſic: quod ſit ſperandarum ſubſtantia rerum argumentum non apparentium, hoc eſt: ut ait *S. Bernardus Epiſt:* 190. Certitudo eſt rerum quæ non videntur.

Gradus aſcenſionis ad fidei perfectionem ſunt tres juxta S. Grego: *1mus.* Eſt ardens deſiderium & propoſitum ſe exercendi in virtute fidei. *2dus.* Conſtantia in propoſito ita, ut nullis tentationibûs ab illo te ſepares. *3tius* eſt Alacritas in exercitio hujus virtutis præcipuè cum quis propter inviſibilia bona, mundi vanitates & corporis voluptates cum lætitia contemnit.

Actus

Actus interni Fidei sunt tres.

Credere DEUM esse ubiq; præsentem.

Quod sit ultimus finis tuus.

Quod sit bonus, misericors, justus. *&c.*

Actus externi Fidej sunt hi.

Confiteri res a DEO revelatas instante adversitate. Simbolum Apostolorum dicere, juxta secundum & tertium orandi modum. Orare per Christianam doctrinam, ut alij DEUM agnoscant.

2dum punctum. Motiva Fidei sunt hæc:

1*mum.* Quia juxta Apostolum *Hæbr:* 11. *v.* 6. Sine fide impossibile est placere DEO. Undè S. *Bartholomæus*. Escobar moriens fidem protestatus est & placidè obdormivit in Domino.

2dum. Quia fides ait S. *Augustinus* est humanæ salutis indicium.

3tium.

3tium. Quia per fidem SS. vicerunt Regna, operati sunt justitiam adepti sunt repromissionem Sanctam.

3tium punctum: Media acquirendæ Fidei.

1mum. Frequenter exercere in varijs actibus fidei eliciendis per breves aspirationes, & oratiunculas ejaculatorias, ad hunc finem præparatas, ex sacra scriptura & SS. Patribus, aut à se ipso formatas. *vg.*

Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam *Ps.* 138. Dominus meus & DEUS meus *Joh.* 20. Credo Domine, adjuva incredulitatem meam, *Mar.* 9. Domine si vis potes me mundare. *Matt.* 8. Credo videre bona Domini in terra viventium *Ps.* 26. *v.* 13. Confiteantur tibi Populi DEUS, confiteantur tibi Populi omnes, Omnis terra adoret te,

& psal-

& psallat tibi *Ps.* 66. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia Ejus.

PRAXIS X.

De natura, motivis, & medijs Fortitudinis

1*mum Punctum* Fortitudo est virtus qua homo redditur firmus in quavis virtute exercenda.

Gradus Fortitudinis sunt tres

1*mus* est Aggredi res difficiles, & actus virtutum heroicos exercere. 2*dus* Sustinere generosè difficultates, in exercitio virtutum. 3*tius*. Perseverare constanter in suscepto exercitio virtutum nec ullis se difficultatibus & adversis ab illo se pati dimoveri.

Actus interni Fortitudinis sunt Retinere mentis tranquillitatem in adversis tam corporis quám animi

mi uti sunt: tentationes, desolationes, tædia, Contemptus, &c. Non recede ab observatione Propositorum, ac Regularum etiam minimarum propter humanos respectus & favores. Cum tentationibus strenuè pugnare nec illis cedere. Parvi æstimare honores, divitias, voluptates, desiderare multa pati adversa, in honore, corpore & anima solius DEI amore.

Actus externi Fortitudinis.

Labores etiam molestiores non subterfugere. sed subire amore DEI. Strenuè mortificare sensus circa sua objecta. Asperitates Corporis in abstinentia, Cilicio, disciplinis libenter ferre. Malestias lassitudinis, æstus frigoris, morbi &c. hilariter tolerare.

2dum punctum. Motiva Fortitudinis sunt hæc.

1mum Quia Spiritus S. exijt il-

lam á nobis *Ps*, 26. Expecta Dô: minúm, viriliter age & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.

2dum Quia fortitudo *à* S. *Bernardo* comparatur radici arboris. Undè sicut radix sustinet truncum frondis, flores, fructus & folia, ita fortitudo sustinet omnes alias virtutes. *3tium* Quia sine fortitudine nemo perfectionem assequi potest. *S. P. Christianus Mayr* ab observatione disciplinæ Religiosæ & mortificatione nullis vexationibus potuit dimoveri, sed fortiter se in ijs gessit. Similiter *F. Thomas Sanchez* ita fuit constans in suscepta vitæ austeritate, ut nullis distractionibus & difficultatibus cederet.

Tertium punctum Media acquirendæ Fortitudinis præter alia sunt hæc:

imm

1mum. Frequenter sibi ponere ob oculos fortitudinem Sanctorum in exercitio virtutum; præcipuè autem ipsius Christi Domini.

2dum. Devota oratio, præcipuè usus Ejaculatoriorum.

Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem *Isa.* 12. Etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es *Psal.* 22. Multæ tribulationes justorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus *Ps.* 33. Si consistant adversum me castra, in hoc ego sperabo. Quis me separabit à charitate DEI *&c.* 1. *Cor:* 2.

PRAXIS XI.

De natura, motivis, & medijs, gaudij seu lætitiæ spiritualis.

1*mum punctum.* Gaudium Spiri-

tuale, est affectus voluntatis & actus amoris, quod est præsentia DEI in nobis, ut de bonis per gratiam DEI proximis datam & de perfectionibus DEI infinitis lætamur.

Gradus ejus sunt tres.

1*mus*. Gaudere de bonis proprijs, per gratiam vel spem possessis. 2*dus*. Gaudere de bonis proximorum sivè qui in militante, sive qui in triumphante Ecclesia degunt. 3*tius*. Gaudere de infinitis perfectionibus DEI, *vg*. de potentia, bonitate &c. gratulando illas DEO, & si per impossibile tuæ essent illas offerendo.

Actus interni gaudij.

Solatia mundi spernere, in solo DEO delectari *vg*. renuit consolari anima mea, memor fui DEI & delectatus sum. *Ps*. 78. Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum *Ps*. 86. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in DEO meo. *Isai*:

Læta-

Lætari de bonis ſpe poſſeſſis *vg*. Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi in Domum Domini ibimus. *Pſ.* Cor meum & caro mea exultaverunt in DEUM vivum *Pſ.* 84.

Actus externi gaudij.

Ordinarias actiones hilariter expedire. Ardua & abiecta obedientiæ opera cum lætitia facere. In adverſis & tentationibus lætum vultum, ſine quærelis & amaritudine præſeferre.

2*dum. punctum.* Motiva gaudij Spiritualis.

Semper retinendi ſunt hæc.

1*mum*. Quia lætitia Spiritualis, valdè utilis eſt in ſervitio DEI: 1*mò*. Quia corporis prodeſt ſanitati, juxta illud. *Prover:* 17. Animus gaudens ætatem floridam facit. Spiritus triſtis exſiccat oſſa. 2*do*. Quia omnia gravia lætus animus reddit levia, exemplô Davidis *Pſ.* 118. Viam mandatorum tuo-

rum cucurri, cùm dilatasti cor meum. Et *Isai:* 40. Current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient. 3*tiò.* Quia alacres in servitio DEI intra breve tempus plus mereri possunt, quàm segnes longiorî morâ, eô quod tales magis DEO placent, Teste Apostolô 2. *ad Cor* 9. Non ex tristitia (inquit) aut necessitate hilarem enim datorem diligit DEUS.

2*dum.* Quia lætitiam Spiritualem requirit status Religiosus juxta illud *Ps.* 69. Servite Domino in lætitiâ, introite in conspectum ejus in exultatione. Et *Ps.* 99. Lætetur cor quærentium Dominum undè S. Franciscus dicebat: Diaboli & membrorum ejus est tristari; nostrum jugiter in Domino gaudere: Nam vox exultationis & salutis in tabernaculis justorum. Et meritò: quid enim Religiosum tristare debet? mundus? at illum spre-

vit: caro? at illam crucifixit: dæmon? at contra illum multa subsidia ex Passione Chirsti Domini sunt:

3tium. Quia lætitia Spiritualis proximos ædificat, qui videntes opera nostra bona, glorificant Patrem qui in cælis est, & ad imitationem excitantur. Atq; hoc est, quod S. P. N. *Ignatius* exigit, qui cum (Teste P. *Polanio*) videret P. *Franciscum* Costeram protunc 16 annum agentem vocato ad se dixit: *Francisce*? audio te semper ridere; ille vultu ad modestiam composito, reprehensionem expectabat. Tum S. P. Pergas (inquit) ridere, & in Domino gaudere Fili mi, nec enim habet Religiosus Societatis causam ullam tristitiæ sed multas lætandi; Sis ergo semper lætus, quod obtinebis, si fueris humilis & obediens, alicquin gaudere non poteris.

3tium punctum. Media obtinendi

& retinendi gaudij Spiritualis.

1mum. Imprimis diligenter cavere ea, quæ tollunt lætitiam Spiritualem. Uti sunt peccata etiam levia, imperfectiones in servitio DEI, & effusio ad res creatas emendicando ab ejs illecebras sensuum. Deindè adhibendo ea, quæ augent gaudium spirituale uti est contritio: mortificatio, fervor, & conformitas cum Divina voluntate.

2dum. Usus ejaculatoriorum.

Cantabo Domino in vita mea, psallam tibi DEO meo

Libenter gloriabor in infirmitatibus mejs 1. Cor: 12. Plura vide in actibus nternis gaudij.

PRAXIS XII.

De natura, motivis, & medijs Gratitudinis erga DEUM.

1mum. punctum. Gratitudo ergà

DE

DEUM, est virtus specialis reddens gratiam benefactori. *Ita Thomas.*

Gradus gratitudinis sunt tres.

1*mus.* Gratitudinem exhibere corde magni æstimando beneficia præstita. 2*dus.* Ore beneficia prædicando & pro illis gratias agendo. 3*tius.* Opere multa agendo & patiendo in gratiam benefactoris.

Actus interni gratitudinis.

Sæpius recogitare multitudinem beneficiorum DEI, Expendere beneficiorum circumstantias, quis, quid, &c. Ex toto corde amare DEUM benefactorem. Desiderare, ut alij beneficia DEI agnoscant, eum colant & ament. Reputare se indignum, vel minimô DEI beneficiô, dolere de magna ingratitudine propria. Offerre DEO in gratiarum actionem omnes actiones & afflictiones. Offerre Christi Domini passionem DEO Patri, pro omnibus beneficijs collatis.

Actus externi gratitudinis.

Extollere verbis accepta à DEO beneficia. Gratias agere sæpius pro innumeris beneficijs. Excitare alios verbò & exemplô ad laudandum DEUM. Promovere gloriam DEI, affectu gratitudinis invitare Creaturas ad laudandum DEUM. Benedictionem & gratiarum actionem mensæ gratô affectu peragere. Petere a Beata Virgine MARIA, Sanctis Angelis, ac Patronis, ut pro nobis gratias agant Domino DEO. Æquè in prosperis ac in adversis grates referre DEO.

2dum punctum. Motiva gratitudinis sunt hæc:

1mum. Quia DEUS etiam in lege veteri memoriam suorum beneficiorum, voluit retineri in solemnitate certorum dierum: imò & ipse Christus Dominus, mortis suæ memoriam recolere præcepit per sacrifici-

ficium dicens: Hoc facite in meam commemorationem.

2dum. Quia gratitudo aperit fontem Divinæ pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ.

3tium. Quia ingratitudo magna damna adfert homini: ut patet in populo Izraelitico pro multis beneficijs ingrato, à DEO rejectô. In *Saule*, & in multis alijs, præsertim qui pro beneficio vocationis extiterunt ingrati, quàm terribiliter à DEO puniti sunt, & rejecti. Ideô P. *Petrus Faber* pro omnibus beneficijs gratias agebat, præcipuè autem *1mo.* Quod inter Catholicos natus esset. *2do.* Pro publicis animadversionibus *3tio.* Pro annonæ caritate, fame, bellô, alijsq; iræ Divinæ flagellis. *4to.* Pro administris alicujus Divini muneris *5to.* Pro ijs omnibus, qui sibi aliquid boni contulissent. P. *Jacobus Granadas* diem vo-

cationis quot annis ita coluit, ut triduô consvetæ orationi adderet semihoram coram V. Sacramento, multiplicaretq; alia pietatis officia. Idem faciebat recurrente die baptismi, habitûs Religiosi & professionis.

3tium. punctum. Media gratitudinis:

1mum. Si de hoc: *vg.* Si velles pro beneficio vocationis ad Religionem debitam gratitudinem DEO exhibere; facies hæc: Designa tibi diem aliquem intra hebdomadam, quo præstabis sequentia. *1mo.* Sæpius visitabis V. Sacramentum, coram illo gratias agendo pro tanto beneficio. *2do.* Offeres ordinarias actiones ad eundem finem. *3tio.* Diligenter incumbes in observationem Regularum, ut dignè possis ambulare vocatione tua. *4to.* Plus temporis dabis orationi invocando B. V. MARIAM & SS.

Patro-

Patronos ut pro te gratias agant; in quem finem etiam merita Christi Domini & passionem illius offeres DEO Patri. 5*to*. Mortificationem aliquam cum renovatione propositorum exactius Religiosè vivendi, offeres DEO; porrò annuam vocationis memoriam, sic poteris celebrare: 1*mo*. In pervigilijs diei vocationis obibis majorem solitò abstinentiam, corporis macerationem & publicam humilitatis mortificationem. 2*do*. In ipso die instítues meditationem de beneficio vocationis, confessionem, in qua te accuses de ingratitudine, & transactis annis tepidè. Item Sacrificium Missæ, & Communionem offeres in gratiarum actionem, præterea in recreatione de odem beneficio loquaris.

2*dum*. Usus ejaculatoriorum.

Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericor-

dia Ejus *Pſ.* 135. Eduxit me de *la*cu miſeriæ, & de luto fæcis, & ſtatuit ſuper petram pedes meos, & direxit greſſus meos. Beata gens cujus eſt Dominus DEUS, ejus populus quem elegit in hæreditatem. Exultabo & lætabor in miſericordia tua, quoniam reſpexiſti humilitatem meam, ſalvaſti de neceſſitatibus animam meam *Pſ.* 30. *v.* 8. Benedictus Dominus, qui magnificavit miſericordia in Civitate munita.

Dominus regit me & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocavit. Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit *Pſ.* 22. Deduxit me ſuper ſemitas juſtitiæ propter nomen ſuum. *Ibi*: In me ſunt DEUS vota tua, quæ reddam, laudationes tibi, quoniam eripuiſti animam meam de morte. *Pſ.* 55. Quis ego ſum Domine, & quæ domus mea, quæ eduxit hucuſq; 1, *Reg*: 3.

PRAXIS XIII.

De natura, motivis & medijs Humilitatis.

1mum punctum. Humilitas est Virtus, qua quis verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit. Ita S. *Thom.*

Gradus humilitatis sunt tres:

1mus. Agnoscere se esse peccatorem, & contemptibilem, peccandi pronitatem, & omnium vitiorum fomitem, ideoq; parvi facere se ipsum, & humiliter de se sentire. *2dus.* Desiderare ab alijs contemni *3tius.* Nihil sibi boni attribuere, sed totum in DEUM refundere.

Actus interni humilitatis.

Recogitare in confuso multitudinem & gravitatem peccatorum, ac pro illis confundi. Judicare se indignum tot beneficijs propter ingratitudinem. Subdere se libenti ani-

mo ſuperiorum tuorum Voluntati. Reputate ſeipſum indigniorem omnibus etiam dæmonibus. Conferre ſe cum DEO & SS. & pro nihilo ſe reputare. Judicare ſe dignum omni contemptu & pænis.

Actus externi humilitatis.

Defectus ſuos non excuſare. Sincere ſe manifeſtare ſuperiori & ſpirtiuali. Confiteri etiam venialia peccata candidè cum circumſtantijs. Reverenter alios compellare & loquentes non interpellare. Deferrè alijs potiores partes, in converſando. Oſculari veſtem Religioſam poſtes & veſtigia aliorum occultè.

2dum. punctum. Motiva humilitatis.

1mum. Quia voluntas eſt Chriſti *Matt:* 5. Diſcite à me quia mitis *ſum & humilis corde.*

2dum. Quia multa commoda adfert *1mo.* Quia placet DEO, & meretur veni-

veniam peccatorum *Ps.* Cor contritum & humiliatum DEUS non despiciet 2*do.* Quia meretur vitam æternam *Ps.* 17. Tu populum humilem salvum facies. 3*tio.* Illuminat intellectum ad percipiendas res Divinas *Matt:* 11. Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus, & revelasti ea parvulis. Lumen intelligentiæ (inquit *S. Gregorius Lib:* 6. *Moral: cap:* 17.) humilitas aperit, superbia abscondit 4*to.* Quia Teste. S. *Antonio* Tentationes dæmonis vincit. 5*to.* Quia fundamentum est omnium virtutum juxta S. *Gregorium* docentem, qui sine humilitate virtutes congregat, quasi inventum pulverem portat. 6*to.* Quia quò quis est humilior, eò altius elevatur à DEO in gloria. *Luc:* 14. Omnis qui se humiliat, exaltabitur.

3*tium.* Quia est necessaria valdè. *Matt:* 18. Nisi efficiamini sicut par

vuli,

vuli, non intrabitis in Regnum Cælorum. Unde P. *Andreas Oviedus* imperiò Pontificis. Episcopus factus post consecrationem confessiones audiebat, in Refectorio serviebat, coquina officia obibat, sternebat ægrotis, verrebat domum, & hospitibus pedes lavabat.

3tium punctum. Media humilitatis.

1mum. Cogitatione revolvere te, ex te nihil posse adinstar Pueri qui se nec attollere,tueri,stare,nutrire potest; instar ægri, egeni, & captivi.

2dum. Quod nescias an illud opus gratum DEO feceris, cum tamen in multis eum offenderis.

3tium, Lapsum multorum,tum tui similium, tum perfectorum non perseverantiam.

4tum. à S. *Basilio homil:* 22. assignatur quidem in conversatione cum proximis servandum,unde (inquit)

ne in

ne in ſermone arrogantiam uſurpes, ſophiſticam, neq; dictionem oſtendas ſuperbam, ſed in omnibus ſplendori, & magnificentiæ detrahas. Comes erga amicum, manſvetus erga domeſticum, patiens erga temerarium, humanus erga humilem. patronus afflictis, inviſens in dolore conſtitutos, in ſe neminem contemnens, ſvavis in appellatione, alacer in reſponſione; dexter & expoſitus univerſis, neq; tua ipſius celebrans encomia, neq; alios qui hoc faciunt, ſubornans, neq; inhoneſtam famam de proximo admittens.

3tium. à S. *Bernardo* oſtenſum *homil*: 87. ad Ogienim. Humiliatio (inquit) eſt via ad humilitatem, ſicut patientia ad pacem, lectio ad ſapientiam. Porrò in quo hæc humilitas ſita ſit. Quatuor (inquit) ſunt, quæ veram conferunt humilitatem. *1mo.* Vilitas operis. *2do.* Aſſiduitas

ſubie-

ſubiectionis 3*tio*. Comparatio melioris. 4*to*. Juditium conditoris,

4*tum*. Conſiſtit in imitatione Chriſti & SS.

5*tum*. Uſus ejaculatoriorum.

Quis ego ſum Domine ſervus tuus, qui reſpexiſti ſuper canem mortuum ſimilem mihi 1 *Reg*: 24. Putredini dixi Pater meus eſt, Mater, mea & ſoror mea Vermibus *Job*: 17. Quaſi putredo conſumendus ſum *Job*: 13. Domine non ſum dignus cunctis miſerationibus tuis *Gene*: 32. Loquar ad Dominum cum ſim pulvis & cinis *Genes*: 18. Utinam ſim in medio Fratrum meorum, ſicut qui miniſtrat. Ego ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis *Pſ*. 21. Quis Sicut Dominus DEUS noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit, in cælo & in terra. *Pſ*. 112.

PRA-

PRAXIS XIV.

De natura, motivis & medijs Indifferentiæ.

1mum punctum Indifferentia est promptitudo animi ad complectendum utrumlibet in neutram partem, ex se propendens, nisi voluntas Superioris & DEI ad aliquid accesserit.

Gradus Indifferentiæ sunt tres.

1mus. est Indifferentem esse ad manendum in hoc vel illo loco, scilicet Provincia, Civitate, domicilio, cubiculo. *2dus.* Indifferentem esse ad hoc vel illud officium subeundum, *v.* occupationem, sivè illa sit honorifica, sivè abjecta, tam in spiritualibus, quàm temporalibus *3tius.* Indifferentem esse ita ad dispositionem superiorum circa te, ut eam non solum acceptes, sed etiam velis, ac rectam judi-

judices, præcipuè in duplici eventu.

1mo. Ut accedens ad superiorem petiturus aliquid sive pro tuo commodo aliquo spirituali, sive pro mortificatione corporali, sis æquè paratus ad acceptandam negationem, atq; concessionem illius rei 2do. Ut cum agitur de gradu acceptando, æquê indifferens sis ad altiorem atq; inferiorem & alterutrum tanquam de manu DEI accipias.

Actus interni Indifferentiæ,

Paratum esse animô ad acceptandum quidquid Superior de te statuerit. Velle libenter sequi ,quod superiori placet. Lætò animô acceptare voluntatem superioris in his, quæ repugnant sensualitati.Nihil malle aut velle tam in parvis quam in magnis, nisi annuente vel renuente Superiore.

Actus externi indifferentiæ.

Ni-

Nihil loqui de tua, aliorum diſpoſitione. Non ſe excuſare à loco & occupatione. Non murmurare contra diſpoſitionem Superioris circa te & alios. Non urgere rem etiam piam à ſuperiore, denegatam ſemel. Non curare per ſe & per alios, ut eò mittaris, aut ad hoc applicеris quod tibi placet.

2dum punctum. Motiva Indifferentiæ

1mum. Neceſſitas: Quia indifferentiam exigit à nobis *1mo.* Inſtitutum noſtrum; tum quia ſine hac non aſſequeretur Societas finem ſuum, qui eſt non ſolùm curare propriam ſalutem, ſed & proximi:undè conſt:*part:* 3. *cap*: 2. dicitur. Noſtræ vocationis eſt diverſa loca peragrare, quod rectè fieri non poſſet, ſi quilibet ſequeretur, & non eſſet indifferens ad omnia tum quia diverſa ſunt Officia in Societ: & gradus, quorum unus

aliô

aliô altior, proinde necessaria est in-differentia *2do.* Exigit id à nobis peculiaris providentia DEI circa nos, cui nos devovimus. Cum enim DEUS sciat, quid nobis prosit, omnia tam prospera, quàm adversa ordinat, ad nostram salutem per Superiores, quibus si ob defectum indifferentiæ, resisteremus, facile erraremus in re magni momenti.

2dum: Utilitas triplex *1ma.* Quia indifferentia facit Religiosum quodam modo beatum in terra, tribuendo illi tranquillitatem mentis. Cum enim omnis inquietudo oritur hominis vel ex desiderio bonorum vel ex metu malorum. Qui se autem DEO obtulit, quidquid de illo ordinaverit, omne in suum scit cedere commodum. *2da* Quia Religiosum reddit gratum DEO, & proximo. DEO: Quia per indifferentiam offertur illi holocaustum nobilissimum propriæ volun-

voluntatis. *Hominibus*: Quia Superioribus adfert solatium, æquales, & inferiores ædificat. 3*tia*. Quia indifferens obligat quodammodo DEUM, ut peculiarem illius curam agat, juxta illud *Ps.* 90. Quoniam speravit in me, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. Item: Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit. Ratio horum est: tum quià DEUS bonus est, ideò devotos sibi non potest non protegere, tum quia est omnipotens, & ideo nihil Ei difficile.

3*tium*. Ex alijs attributis desumitur, præcipuè imprimis *ab absoluto Dominio* super omnes Creaturas, quæ illi omnia debent, quidquid sunt, habent, possunt. Deindè à *Sapientia infinita*, secundùm quam novit opportuniora cuivis media providere. *Incantonius* de *Quiroj* obedientiæ & indif-

indifferentiæ studiô reliquit sub typo inchoatum opus suum, simul ac decretam sibi navigationem in Indiam agnovit, nihil sollicitus, quid de eo tandem futurum esset. *Hieronymus Cygnardus* magnum habuit ad studia affectum, sed manebat æquè paratus ea incipere, vel non, ad nutum Superiorum, solebatq; dicere: sicut pila non detrectat huc vel illuc projici, sic nos sinè ulla consideratione, debemus nos sincere tractari dirigi, idq; non tantum in rebus exterioribus, sed etiam in interioribus circa mortificationes.

3tium. punctum. Media acquirendæ Indifferentiæ.

1mum. Committere se totum dispositioni Divinæ in omnibus etiam minimis per voluntatem Superiorum persvadendo sibi hæc: *1mo.* Quod DEUS nec vult, nec potest nos decipere ad malum propter infini-

nitam suam bonitatem, qua nobis nihil, nisi Salutare optat. 2do. Quod Superiores DEI authoritate nos regunt. 3tio. Quod ex nobis ipsis facile possimus errare & labi, nisi aliorum judicio nitamur.

2dum. Usus ejaculatoriorum.

Loquere Domine, quia audit servus tuus: 1. *Reg*: 3. Sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum. *Job*:1. Paratum cor meum DEUS, paratum cor meum, ut custodiam mandata Tua *Psal*: 107. Non mea, sed tua Voluntas fiat. *Luc.* 22. Domine quid me vis facere? *Act*: Domine, jube quod vis, & da quod jubes. S. *Aug*: *in Soli.*

PRAXIS XV.

De natura, motivis, & medijs Intentionis.

1mum punctum. S. Augu: inquit Intentio est virtus, quâ facimus, quidquid facimus; quæ si munda fuerit, & recta, & illud aspiciens, quod aspiciendum est, omnia opera nostra, quæ secundum eam operamur, necessè est, bona sint.

Gradus rectæ intentionis juxta S. Bern: sunt tres.

1mus. Despicere terrena, ut soli DEO placeas *2do.* Despicere non solum omnia terrena, sed & se ipsum nihil in omnibus sui quærendo, præter DEUM, & nihil amando, nisi in DEO, per DEUM & propter DEUM. *3tius.* Omnia agere, non ut DEO placeas, sed quia DEUS tibi placet vel quia placet in DEO, quod tu operaris aut pateris.

Actus intentionis puræ.

Nihil facere, ut ab hominibus videaris, & æstimeris. Non turbari

even-

eventû minus secundô in actionibus. Non deijci vituperijs & respectibus â bene cæptis. Non quærere commoditates proprias in victu, vestitu, loco & occupatione. Gaudere de bono successu aliorum in similibus actionibus. Agere & pati etiam minima, purè ob solius DEI amorem, & gustum cordis ejus. Æquè diligentèr ad majorem DEI gloriam opera ordinaria peragere in consolationibus, quàm in desolationibus tum publicè, tum privatim; Æquè se totum impendere in vilibus ac speciosis occupationibus. Nullum opus aggredi inconsiderate. Non turbari de multis actionibus, ne internam cum DEO conversationem obliviscaris, post peractum opus examinare se, an DEO placuit illud opus, humanas reprehensiones & judicia non curare nec de illis interrogare. Non habere

vanam complacentiam in bene perfecto opere, nec cogitare vanè de eo. Contentum esse omni Divina gubernatione per Superiores facta.

2dum punctum. Motiva Intentionis.

1mum. Necessitas illius ob has rationes *1mo.* Quia bona intentio formam actui confert, sicut anima Corpori, aut medulla arbori. Undè *S. Ambrosius* quantùm contendis, tantùm agis *2do.* Quia nullum opus DEO placet sine bona intentione. *3tio.* Quia nulla Virtus ac proindè nec perfectio, sine bona intentione potest acquiri. Undè *S. Gregorius Bases* (inquit) uniusq; cujusq; animæ sunt intentiones. *4ta.* Quia sine omni intentione actiones humanæ sunt brutales. *2dum.* Multiplex utilitas *1mò.* Quia opera indifferentia, u-

ti est comedere, bibere, recreare se, imô & omissiones facit meritorias: Teste *Blosia* Ut si quis transiens pratum omittat decerpere florem amore DEI. *2da*. Efficit hoc, ut quis uno tempore plures actiones præstet, & multum mereatur solis intentionibus multiplicatis modô infra dicendo. *3tia*. Quia pro re parva lucratur magna, ut si quid exiguum agas, aut patiaris cum intensa amoris DEI intentione. *4ta*. Quia etiam dormientem facit implere illud Apostoli: oportet semper orare, & non deficere, offerendo ipsam quietem DEO. *5ta*. Quia intentio fervens citò liberat hominem ab amore proprio, & reddit Capaciorem donorum Divinorum & facilè etiam Tyrones & Simplices sine ullo discursu levet a terrenis ad DEUM, ita, ut levent se; super se, & uniantur summô bonô. *6ta*

Quia recta intentio tam in vita, quam in morte, adfert homini solatium *3tium.* Damna ex defectu intentionis. *Imprimis* si nullam præfixisti intentionem tuis actionibus, eris similis illis, qui multum laborârunt, & nihil intulerunt, de quibus Aggiæi 1. Seminastis multum, intulistis parum *2do.* Quia tales deteriores evadunt, & quia nulla bona opera, quæ debebant, fecerunt, aut si quæ erant, multis vitijs erant asperſa. *3tio.* Quia qui non assvescunt ad intentionem, fecile diffunduntur ad vanitates, jocos, cachinnos, detractiones, irrisiones, & commoditates corporis in cibo, potu, vestitu, loco, occupatione. Quod si præfixa sit intentio sed non pura quærendi DEUM, verùm se ipsum; sequuntur hæc damna: *1mo.* Quia ejusmodi homines quærentes non DEUM, se

ipsos

ipsos perdunt *2do.* Quia nihil assequuntur propter simulacrum virtutis, qui Regulas, Superiores, conscientiam propriam, & DEUM, offendunt, querendo sua commoda. *3tio* Quia non asequuntur quod intendunt, facile turbantur, & sæpè miserè coguntur vivere

4tum. Exempla. P. *Jacobus de Bodilla* in agone mortis fassus est, DEUM in testem invocando, se nihil unquam fecisse quamdiu vixerat, nisi quod *Ad Majorem DEI Gloriam* pertinere crediderat. *P. verô Jacobus* de Saura votum hoc ediderat: Voveo item &c. quod quid quid faciam, dicam, cogitabo omne sit futurum Sanctissimæ Trinitatis, & Domini mei JESU & Dominæ meæ MARIÆ, & S. JOSEPHI, & S. Patris mei IGNATII, & Curiæ Cælestis universæ amore.

3tium. punctum. Media Intentionis acquirendæ.

1mum. Non esse Contentum habituali intentione, sed ante quod libet opus v. afflictionem, renovare actualem, in unione laborum, dolorum, ac meritorum Christi Domini *vg.* O! mi amantissime DEUS! offero tibi hoc opus N. hanc afflictionem unitam laboribus, ac doloribus Christi JESU ad majorem tui gloriam.

2dum. Antè quamlibet actionem multiplicare actiones communes pro omnibus actionibus, u. particulares pro singularibus ut docet. *P. Drexelius Lib: 2. Cap: 8.*

Communes vg: O! DEUS mi volo agere hoc vel pati:

1mo. Ut sanctificem nomen tuum. *2do.* Ut promerear Regnum Cælorum. *3tio.* Ut faciam voluntatem tuam. *4to.* Ut impetrem quotidia.

tidiana bona corporis & animæ 5to. Ut obtineam veniam peccatorum meorum 6to. Ut non inducar in pericula tentationum. 7mo. Ut sim liber ab omni malo culpæ & pœnæ 8vo. Ut honorem B. V. MARIAM & totam Ecclesiam triumphantem. 9no. Ut impetrem veniam, gratiam, gloriam, mihi, amicis, inimicis, & toti Ecclesiæ militanti. O! mi amantissime DEUS volo orare. 1mo. Ut DEUM meum colam & laudem. 2do. Ut placeam, gratum sacrificium exhibeam, & in tua gratia me conservem. 3tio. Ut tibi pro innumeris beneficijs gratias agam. 4to. Ut pro noxis meis satisfaciam. 5to. Ut necessaria corpori & animæ impetrem, præcipuè N. 6to. Ut obtineam virtutum augmentum in hac vita, & in altera gloriam. 7mo. Ut meam voluntatem magis uniam cum Tua.

Ante Sacrum.

1mo. Ut tester Dominum DEUM, & conditorem meum cui omnia debeo. 2do. Ut particeps fiam tanti mysterij in quo verum corpus, & sangvinem Christi offerri credo 3tio. Ut pro vivis ac defunctis orem.

Ante examen.

1mo. Ut me ipsum nosse discam. & conscientiæ puritatem assequar. 2do. Ut crebros lapsus diligentius caveam. 3tio. Ut apud DEUM in gratia maneam.

Ante Confessionem.

1mo. Ut sincere confitendo me humilem, & in gratiam cum DEO redeam. 2do. Ut à peccatis liberer, & Conscientiæ tranquilitatem assequar, 3tio. Ut ardentiorem spiritum in Divino obsequio obtineam.

Ante Communionem.

1mo.

1mo. Ut memoriam Passionis Christi renovem. 2do. Ut Christo per amorem uniar & contra tentationes muniar. 3tio. Ut in gratia, & in virtutibus, præcipuè humilitate, patientia & Charitate, crescam.

Ante laborem quemvis. Corporalem.

1mo. Ut tibi DEO meo placeam. 2do. Ut corpus domem, & pro peccatis satisfaciam. 3tio. Ut me exerceam in humilitate, obedientia, charitate.

Ante studia.

1mo. Ut Societ: & Ecclesiæ DEI prosim 2do. Ut voluntati DEI, & Superiorum, paream. 3tio. Ut melius in cognitione DEI, & creaturarum proficiam. 4to. Ut finem Societ: assequar. 5to. Ut animas multas proximorum DEO lucrer. 6to. Ut Christi Domini cooperer

ſangvini ne gratis ſit effuſus. 7ma. Ut melius honorem DEI promovere poſſim.

3tium. Uſus ejaculatoriorum Dirigatur Domine oratio mea in conſpectu tuo. Pſ. Tibi dixit cor meum, quæſivi vultum tuum Pſ. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio O! Beata Trinitas. Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Suſcipe Sancte Pater æterne DEUS hoc vile opus in unione Filij tui operum. Vide oblatio

PRAXIS XVI.

De natura, motivis, & medijs Juſtitiæ.

1mum punctum, Juſtitia eſt virtus voluntatis tribuens unicuiq; quod ſuum eſt S. *Aug: Lib:* 19. *de Civit: DEI cap:* 21.

Gra-

Gradus Justitiæ sunt tres.

1*mus*. Nulli injuriam facere, cogitatione in bonis fortunæ, honoris, corporis. 2*dus*. verbò 3*tius*. Opere.

Actus interni justitiæ.

Nulli cogitare malum. Propositum facere servandi regulas. Optare ut regulæ ab omnibus exactè serventur. Nolle vindicare, injurias dignoscere ex corde.

Actus externi Justitiæ.

Reddere exteriùs Superioribus, æqualibus, & inferioribus, debitum honorem & amorem. Præferre bonum commune privato. Facere alijs, quæ tibi velles fieri. Cavere à censuratione morum alienorum.

2*dum punctum*. Motiva Justitiæ.

1*mum*. Quia justitia rectum vivendi modum præscribit.

2*dum*. Quia per justitiam volun-

luntatem DEI explemus.

3tium. Quia DEUS eſt amator juſtitiæ. *Pſ.* 10. Juſtus Dominus & juſtitiam dilexit, æquitatem vidit vultus ejus. *4tum.* Exemplum S. P. N. *Ignatij* qui ita juſtitiæ amans fuit, ut contra illam minores defectus rigidè punierit, ut patet in uno referente de infirmo, quòd in amentiam incidiſſet, impoſuit illi diſciplinam, & alio tempore ipſe confeſſus eſt, quòd plures arbitros adhibuiſſet in cujuſdam defectu detento.

3tium punctum. Media acquirendæ Juſtitiæ.

1mum. Cavere ne in rebus minimis & devotionalibus, imò nec in bonis corporis & honoris, ulli injuriam nunquam inferas.

2dum. Fugere ſimulationem ne cum ſis injuſtus velis videri juſtus.

3tium.

3tium. Usus ejaculatoriorum.

Non intres in judicium cum servo Tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. *Ps.* 142. Si justificare me volueris, os meum condemnabit me. *Job*: 9. Nunquid homo DEI comparatione justificabitur *Job*: 4. Beati qui custodiunt judicium & faciunt justitiam in omni tempore. *Ps.* 106. Justitiæ DEI rectæ lætificavêre corda *Ps.* Utinam in justitia appaream in conspectu tuo *Ps.*

PRAXIS XVII.

De natura, motivis, & medijs. Laudis Divinæ.

1mum punctum. Laus Divina est præcipuus actus virtutis Religionis, quâ amplissimas DEI virtutes enarramus, & deprædicamus ut illi-

illius bonitas & Majeſtas mortalibus innoteſcat & ab omnibus devotè colatur.

Gradus laudis DEI ſunt tres

1*mus.* Corde toto & ore prædicare perfectiones Divinas, & mirabilia opera illius, non ſolùm in concionibus ſed etiam in familiari colloquio: deindè orationes devotè & expeditè expedire. 2*dus* tam in proſperis, quàm in adverſis non ceſſare à prædicatione DEI 3*tius.* Dèſiderare & propoſſe curare cum ipſe ſufficientèr DEUM laudare non poſſis, ut omnes creaturæ Eum agnoſcant & laudent.

Actus interni laudis Divinæ.

Proponere, ſe in omnibus gloriam DEI quærere. Optare totius mundi converſionem, ut DEUS ab omnibus laudetur. Optare ſine ceſſatione (ſicut Beati in Cælo) DEUM laudare. Optare omnes DEO

illas

illas laudes, quas illi tam actualiter quam possibiliter Creaturæ possunt reddere. Gaudere de tanta Majestate DEI, ut à nulla Creatura possit sufficienter laudari. Gratulari DEO illum honorem, quem illi exhibent nunc omnes Angeli, SS. B. B. V. V. M. M & humanitas Christi Domini.

Actus externi Laudis Divinæ.

Curare in dictis & factis ædificationem, ut videntes opera nostra bona, glorificent DEUM, qui in Cælis est. Laborare seriò circa proximi salutem. Diligenter ea expedire, quæ spectant ad DEUM. Verba illa; sanctificetur nomen tuum; proferre magno cum desiderio amplificandi gloriam DEI. Magno cum fervore dicere: magnificat anima mea Dominum &c. Invitare omnes Creaturas ad laudandum DEUM, dicen-

dicendo: Benedicite omnia opera Domino.

2dum punctum. Motiva laudandi DEUM.

1mum. Quia ut DEUM laudemus, requirunt à nobis beneficia præsentia, præterita & futura.

2dum. Quia id nobis est utile, siquidem Deus non eget nostris bonis, nisi ut nos præmiet. Undè S. *Chrysostomus hom:* DEUS quia bonus est & misericors, per nos vult glorificari, non quod ipsi aliquid ad suam gloriam accedat, sed ut occasionem ipsi præbeamus majores in nobis gratias impertiendi, DEUS enim nullius rei indigens est.

3tium. Exempla tum Angelorum quorum millia millium *Daniel* 7. *v.* 10. ministrabant ei. Et *Isaiæ* 6. Seraphini clamabant: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Tum Sanctorum

Apoc:

Apoc. 4. v. 19. imo & aliarum Creaturarum, uti ſunt Cæli, de quibus David. Cœli enarrant gloriam DEI *Pſ.* *P. Didacus Martinez Soc: JESU* dum laudes DEO per Divinum officium ſolveret, fecit hoc ſine ulla feſtinatione, nulli rei innixus, ſed aut ſtans, aut genibus flexis, capite detecto, magno cum fervore. Undè merabilia lumina hauriebat Ergo inter tot ac tales glorificatores DEI, tu ſilebis aut torpeſces?

3*tium punctum.* Media exercendæ laudis Divinæ, ac obtinendæ.

1*mum* Conſiſtit in his nempè ut te exerceas 1*mo.* In humilitate. Eſto inquit S. *Auguſtinus humilis* ſi vis benedicere Domino in omni tempore 2*do.* Ut peccata deliberata vites, quia non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris, ut ait

Eccle-

Ecclesiastes 15. *3tio*: Ut sæpè consideres immensam DEI Majestatem, bonitatem, Sapientiam, omnipotentiam & alia attributa laude dignissima.

2dum. Usûs ejaculatoriorum.

Laudent te, Cæli & terra, & maria, & omnia reptilia in eis. *Ps.* Confiteantur Domino misericordiæ ejus, & mirabilia Ejus Filijs hominum *Ps.* 106. Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipsum.

Confitemini Dominô, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia Ejus.

Vivit anima mea & laudabit te, & judicia tua adjuvabunt me. *Ps.* 103.

PRA-

PRAXIS XVIII.

De natura, motivis, & medijs Modestiæ.

1mum. *punct:* Modestia est virtus, quæ externos motus & gestus moderatur.

Gradus ejus secundùm Andronicum citatum à S. Thom: 22. q. 142. art: 1. assignantur tres.

1mus. Est ordinatio, ut nimirum non ex passione aliqua perturbante res fiant, sed ordinatè. 2dus. Ornatus ut decenter expediantur 3tius Authoritas, ut agatur maturè

Actus modestiæ sunt.

Caput huc & illuc non movere, sed rectum & ad interiorem partem parùm inflexum tenere. Oculos vagos non habere sed parum demissos. Faciei fere itatem

præſeferre. Labia nec nimis diducere, nec comprimere.

Incedere moderatè, nec manibus ſeminare. Sedere & cubare verecundè, Non divaricando membra. Loqui circumſpectè. In recreatione non totum ſe riſui, & nimiæ letitiæ dare. Vitare clamores. Habere munditiei curam, tam corporis, quàm veſtium.

2dum punctum. Motiva modeſtiæ.

1mum. Quia modeſtia multum confert ad internam quietem, & devotionem conſervandam, Oculi (inquit S. *Bernardus*) defixi in ſolum, juvant, ut cor ſemper levetur in Cœlum, & S. *Gregorius Lib*: mor: Dicit ad cuſtodiendam cordis munditiem exteriorum quoq; ſenſuum diſciplina ſervanda eſt.

2dum. Quia modeſtia multum prodeſt proximo. *1mo.* Quia illum ædi-

ædificat, undè Matt: 6. Christus dicit: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem Vestrum qui in cælis est 3. ad Cor: 4. *Apostolus* inquit. Modestia Vestra nota sit omnibus hominibus. S. quoq; *Hieronymus*: modestia inquit loquacibus, compunctionem ingerit. *2do.* Modestia convertit proximum, quod patet ex S. P. N. *Ignatio*, qui sola conversatione modesta traxit ad *Socit:* *P. Natalem*, *P. Matridium* & alios. Undé P. *Mutius: Vitelescus in epistola prima*: commendans modestiam: nemo (inquit) hanc rem reponat in minimis, fixum, quinimò constitutumq; sit apud nos eam, quæ intus est speciem sæculares viros conformaturos Viros, quàm exterius nobis impressam animadverterent.

3tium.

3tium. Quia immodestia multa damna adfert: inter quæ est *primum.* Quia oculos intuentium offendit. *2dum.* Quia ex externis ad interna homines solent descendere juxta illud *Eccl:* 19. Ex visu cognoscitur vir, & amictus corporis, & risus dentium enuntiant de eo. *3tium.* Quia levitas morum devotionem extingvit. *4tum.* Quia externi ex uno immodesto omnes imperfectionis arguunt.

3tium punctum. Media modestiæ. Consistit in his: *1mo.*

1mum. Reflectere se ipsum supra defectus immodestiæ cujusvis membri animô emandándi illos *2do.* Rogare alios ut si quid obsarvaverint, præmoneant, & seriò emendetur. *3tio.* Ità se componere quò ad situm decentem privatim in cubiculò sicut publicè: Sic enim modestiæ contrahitur habitus.

2dum.

2dum. Ponere ob oculos & imitari modestiam gravium Virorum, & ipsius Christi Domini.

3tium. Usus ejaculatoriorum.

Animæ irreverenti & infractæ ne tradas me. Eccl: 23. Fac, ut serviam tibi cum timore, & exultem tibi cum tremore. Ps. 2. Vide humilitatem meam & redime me. Fac Domine, ut mea modestia glorificeris in æternum. Pone Domine custodiam ori meo.

PRAXIS XIX.

De natura, motivis, & medijs Mortificationis exterioris.

1mum. punctum. Mortificatio exterior seu maceratio, est virtus, quâ refrænantur delectationes sensuum exteriorum.

Gradus ejus sunt hi tres.

1mus: Mortificare sensus, vg. o-

culos, ne tendant in objecta peccaminosa. *2dus.* Ne se plus æquò immergat oblectationi rerum indifferentium *3tius.* Ut etiam à licitis oblectamentis rerum creatarum amore DEI abstineant, subtrahendo sibi illa, quibus licitè uti poterant: *vg*: Avertere oculos à visu pulchrorum, aures, ne jucunda audiant.

Actus externi visûs.

Vitare aspectum partium corporis, etiam honestarum. Non aspicere imagines nudas, nec venustas personas. Non figere oculos inter eundum in res indifferentes. Non circumspicere alios in Refectorio, Templo, Schola, &c. In frequenti hominum concursu diligenter oculos servare. A rebus curiosis & jucundis oculos abstrahere.

Gustûs.

Acce

Acceptare libentèr non arridentem pertionem. Condimenta alia non adhibere ad mensam. Extra tempora nihil gustare. In modo, qualitate, quantitate, cibi, potûsq; non excedere.

Tactûs.

Neminem jocô tangere. Disciplinam & Cilicium frequentius usurpare ac indusia crassiora portare. In sessione & flexione præsertim tempore orationis se non fulcire. In decumbendo mollia stragula non adhibere. Membra non divaricare, & compositè lateri dextro incumbere. Molestias frigoris, famis sitis, et lassitudines subire. A fricationibus in pruritu abstinere. Morsus pulicum & aliorum vermium tolerare. Longiore statione & flexione uti.

Auditûs.

Aures non præbere censoribus,

irrisoribus morùm alienorum & adulatoribus. Non audire quid alibi agatur. Et ea, quæ sunt jucundá, curiosa &c.

Odoratûs.

Non procurare odorifera ex hortis v. aliundè. Cibos minus olentes sumere, & loca Communia sæpius purgare. Infirmorum Cubicula fætentia cum facultate visitare & defectus aliorum hac in parte tolerare.

2dum punctum. Motiva mortificandi sensus.

1mum. Damna malè custoditorum sensuum, quod varijs similitudinibûs in sacra Scriptura exprimitur, uti sunt illæ: Mors ascendit per fenestras: Oculus meus deprædatus est animam. Sicut urbs patet sine murorum ambitu, ita Vir, qui non potest: &c.

2dum. Quia per custodiam & mor-

mortificationem sensuum pax interna & devotio conservatur, quæ per incuriam sensuum valdè citò amittitur.

3tium. Quia mortificatio exteriorum sensuum valdè ædificat proximos tam domesticos, quàm externos, qui facilius ad meliorem frugem vitæ bonæ exemplô convertuntur, & magnam mortis existimationem tam personæ mortificatæ, ut patet in *S. Joanne Baptista* quàm Religionis totius bono nomine concipiunt.

4tum. Exempla Sanctorum Virorum. P. *Realinus* quamdiu fuit subditus, nunquam in Refectorio aliò convertit oculos aut elevavit, quanquàm aliquid tale acciderit, quod ad conversionem oculorum homines convertere solet. *P. Bernardus Colnagus* propter amorem Pueri Jesu quotidiè se ad mensam in præ-

cipuo bolô mortificavit. *P. Balthaser Alvarez* severè corpus affligebat, dicens: anima quæ amore Christi vulnerata est, non est contenta, nisi, ut corpus ipsum vulneretur; hostis erat boni odoris; extrá templum loca immunda mortificandi odoratûs gratiâ purgabat *vel* visitabat.

3tium. punctum. Media mortificandi sensus.

1mum. Assvescere in omnibus etiam minimis vim inferre sensualitati offerendo hanc mortificationem DEO nunc pro suis, nunc pro alienis peccatis, nunc pro defunctis in unione mortificationis Christi Domini, quàm in tali sensu subijt. *vg*: Cum esuris, ut esuriem offeras in unione Christi Domini jejuni. Sitim, in unione Christi felle, & acetô p tati.

2dum. Proponere certis temporibus

ribus & occasionibus, certos sensus mortificare & propositum executioni mandare, solius DEI amoris gratiâ offerendo illi, licet exiguum hoc nostrum Sacrificium in recognitionem illius Infinitæ Majestatis & Dominij &c. Interdum etiam poterit hæc Oblatio fieri in honorem SS. Patronorum B. V. MARIÆ S. Angeli Custodis S. P. Ignatij; S. Xaverij. S. Aloysij, S. Stanislai Kostka, &c.

3tium. Consistit tum in ascensu ex objectis sensuum delectabilibus ad ipsum DEUM, tanquam bonum infinitè in se delectabile, tum in usu ejaculatoriorum. *vg:* S.

Averte oculos meos, ne videant vanitatem. Exitus aquarum deducant oculi mei, quia non custodierunt legem tuam *Ps.* 118. Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte. *Ps.* 12. Satiabor, cum

apparuerit gloria tua *Ps.* 16. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quàm abſcondiſti timentibus te. *Pſ.* 30. Sitivit anima mea ad DEUM fontem vivum, quandò veniam & apparebo ante faciem DEI. *Pſ.* 41. Quid mihi eſt in Cælis & à te quid volui ſuper terram. *Pſ.* 72.

PRAXIS XX.

De natura, motivis & medijs Obedientiæ.

1mum punctum. Obedientia eſt Virtus, quâ exequimur juſſa & præcepta Superiorum.

Gradus Obedientiæ ſunt tres.

1mum. Exequi velocitèr, utilitèr, humilitèr, & indeſinentèr, id, quòd præcipitur: Si manifeſtè non appareat malum. *2dus.* Subdere voluntatem præcipienti, ut libentèr,

ac hilaritèr jussa exequatur subditus. 3tius. Abnegare in obediendo etiam intellectûs judicium, ut idem sentiat cum præcipiente prælato subditus.

Actus interni obedientiæ sunt.

Propositum firmum obediendi sæpè renovare, Desiderare occasiones omnes obediendi, ex amore obedientiæ. Velle obedire libentèr vincendo repugnantiam animi. Velle obedire simplicitèr implendo præcepta, sine discursu & rationibus: Velle velocitèr obedire omnem superando tristitiam. Velle hilaritèr non differendo, sed absq; mora faciendo id, quòd præcipitur. Velle obedire fortitèr nulli cedendo difficultati. Velle obedire humilitèr, putando se esse ad omnia ineptum, sed virtute sanctæ obedientiæ reddi aptum. Velle obedire indifferentèr, æque obediendo perfectis, ac

imperfectis, doctis, ac indoctis, mediatis, & subordinatis, tam in parvis, quàm in magnis, ac difficilibus:

Actus externi obedientiæ sunt.

Integrè ac diligenter exequi rem imperatam, & Regulas servare. Mandato Superioris, verbô, scriptô, aut quôcunq; signô delato obedire, libenter, simpliciter. Exactè temporis distributionem servare. Ad signum campanæ se vocantis festinanter conferre. Alacrius munia viliora obire. Offerre se ultrô ad quævis officia abjecta & ardua Non ostendere signô externô quòd invitè facias. Non se excusare. Non murmurare nec conqueri cur id præcipiatur.

2dum punctum. Motiva obedientiæ.

1mum. Dignitas & excellentia, obedientiæ, quæ patet ex his: *1mo.*

Quià

Quià ità nos Divinæ voluntati unit, ut errare non possimus, eò, quòd DEUS incapax est erroris. *2do.* Quia consecrat nos DEO in holocaustum totaliter, sicùt, qui, arborem cum fructibus alicui offert. *3tio.* Quia obedientia 1. *Reg:* 15. Melior est, quàm victima *4to.* Quià; obedientia Teste S. *Gregorio* aliàs virtutes inserit, insertasq; custodit. *5to.* Quia obedientia omnes tentationes, ac pericula superat juxta illud *Prov:* 22. Vir obediens loquetur victorias. *6to.* Quià: obedientia ut (ait *Climacus*) est abnegatio animæ, & corporis proprij, voluntaria mors, vita sinè solicitudine, navigatio sinè damno, sepultura voluntatis, vita humilitatis, & quàsi siquis dormiendo iter faciat, sivè omittat, quandoquidem se DEO tradiderit.

2dum Utilitas: Tum quià obedien-

tia (Teste S. *Theodoro* Studita) mortis securitatem parit obedientibus, facit esse imperterritos unde S. *Climacus* appellavit, obedientiam ad DEUM immediatam excusationem, metûs mortis contemptionem, tutam navigationem. Tum quia magni meriti & gloriæ est causa; ut paret in S. *Dorotheo*, qui per quinquennium vitæ sub obedientia perfecta transactæ, post mortem visus est in gloria par multis Patribus Sanctis.

3tium. Exemplum Christi Domini, B. V. MARIÆ, Apostolorum, & aliorum multorum Sanctorum, nec non Societ: nostræ Patrum, præcipuè P. *Francisci Favonij* Itali obedientissimi qui dicere solebat: Hac una parendi promptitudine, sibi certam constare spem salutis; quia scilicet, nihil esset unquam, nisi authore DEO, obedienti-

enti·

entiam aggressus & ausus est dicere: Immensum sibi gloriæ pondus in Cælo repositum esse; & olim a S. *Ignatio* obviam effuso, se in gaudium Domini exceptum, in spe certa beatitudinis ex hac una virtute concepta.

3*tium punctum.* Media obtinendæ obedientiæ.

1*mum.* Traditum a S. P. *Ignatio*, quod consistit in tribus: 1*mo.* Ut non intueamur in persona Superioris hominem, obnoxium erroribus, atq; miserijs, sed Christum ipsum, qui est summa sapientia, Bonitas immensa, Charitas infinita, qui nec decipi potest, nec nos vult decipere. 2*do.* Ut statuamus nobiscum ipsi, quid quid Superior præcipit, ipsius DEI præceptum esse & voluntatem. 3*tio.* Ut quod Superior mandat, *vel* sentit defendere, semper apud nos enitamur,

nec unquam mandatum improbemus, sed magnô affectû erga illud simus.

2dum: Usus ejaculatoriorum.

Nonnè DEO subiecta est anima mea, ab ipso enim salutare meum.

Loquere Domine, quià audit servus tuus. 1. *Reg:* 7. Domine quid me vis facere. *Act:* 9. O! Domine ego servus tuus, ego servus tuus *Ps.* 115.

PRAXIS XXI.

De natura motivis, & medijs. Oblationis.

1mum punctum. Oblatio est actus virtutis, Religionis & voluntatis, quâ homo Divinæ Majestati se, suaq; offert.

Gradus oblationis sunt tres.

1mum. Offerre bona fortunæ, tàm

quò

quò ad divitias, quàm quò ad honores, quòd Religiosi faciunt, per exactam Sanctæ Paupertatis observationem 2dus. Offerre bona corporis, scilicèt obiecta sensuum delectabilia, mortificando se in illis, quòd Religiosi exequuntur, per diligentem custodiam castitatis 3tius. Offerre bona animi, per subiectionem voluntatis & intellectûs, sivè illa sint naturæ, sivè gratiæ, sivè gloriæ.

Huc spectat oblatio DEO Patri, Christi Domini incarnati, passi & mortui. Propterea, prædicta bona singulorum graduum, cum magno merito sub hac conditione offerri possunt. Si omnia enumerata bona omnium hominum, qui erant, sunt, & erunt, insupèr possibilià bona, possibilium hominum adhuc, si tua solius essent, tu illa purè amore DEI offerre velles: illi, quæ

obla-

oblatio etiam in Divinis attributis valet, si per impossibile non essent DEI, sed tua. Hunc gradum oblationis conscendit S. *Augustinus* dicens: Si ego essem DEUS, DEUS verò esset *Augustinus* efficerem, ut ego essem *Augustinus*, & ipse esset DEUS.

Actus interni oblationis.

Offerre DEO purè propter amorem ejus. Resolutiones voluntatis has: quarum 1*ma*. Eligere millies mori, quàm illum offendere voluntarié, & deliberatè 2*da*. Tolerare Christi causâ molestissima quæq; 3*tia*. Adversarijs ignoscere, & benèfacere. 4*ta*. Vota & Regulas exactè servare. 5*ta*. Nihil velle nisi quod DEUS vult. Offerre DEO quidquid es, quidquid habes, quidquid potes. Offerre DEO omnes facultates corporis & animi, cum suis actionibus bonis purè in lau-

dem

dem ejus. Offerre DEO ſe, & velle perfectionem illam, quam ille vult habere, proùt vult. Offerre DEO Patri Chriſti Domini labores, paſſionem, ſangvinem, merita, & mortem. *1mo.* Pro ſatisfactione peccatorum. *2do.* In gratiarum actionem pro beneficijs *3tio.* Pro impetranda venia. *4to.* In laudem & gloriam ejus. Offerre ſe DEO ipſum DEUM in gratiarum actionem. *1mo.* Pro gloriâ, honore, beatitudine, quam poſſidet *2do.* Pro omnibus donis & gratijs communicatis humanitati Chriſti, B. V. MARIÆ & omnibus alijs Creaturis. Offerre hæc, ſi tua eſſent *1mo.* Si tibi eſſent tot vitæ, quot aëris atomi *2do.* Si tot voluntates amandi eſſent, quòt, arenæ maris *3tio.* Si Chriſti Domini ac B. V. MARIÆ ardentiſſimus amor, aliæq; omnes virtutes eſſent tibi & merita. *4to.* Si inflammata

cor-

corda Angelorum omnium. 510. Si fides Patriarcharum. 610. Si constantia Prophetarum, labores Apostolorum, pœnæ Martyrum; Sanctitas confessorum, puritas Virginum, Si deniq; actus omnes, tam interni, quàm externi, qui tibi unquam placuerunt, omnium Sanctorum, etiam possibiliùm omnes, nüllius intuitu mercedis, purè proptèr amorem DEI, quiá est, Infinitè bonus qui proptèr se ipsum dignus est amari, offerri.

Actus externi oblationis sunt.

Offerre defectum in victu, vestitu &c. Mortificationes sensuum, etiam in minimis. Negotia ardua, & molesta, ex obedientia injuncta. Adversa corporis, & animi undècunq; venientia. Humiliationes, & confusiones proprias. Frequentiorem renovationem votorum. Omnes divitias ac delicias etiam possibiles

rerum

rerum creatarum. Omnium Religiosorum vigilias, orationes, mortificationes, & laudes Divinas.

2dum punctum. Motiva oblationis.

1mum. Debitum gratitudinis ob beneficia creationis, redemptionis, conservationis, Justificationis, vocationis.

2dum. Augmentum gratiæ, quæ, per talem oblationem acquiritur.

3tium. Præmium gloriæ Cæle. stis amplioris, quòd DEUS tali oblationi proponit.

4tum. Exemplum: P. *Jacobus Cernutus*, moriturus in Collegio Romano, per ædificationem retulit: quotidiè se obtulisse DEO vota ad numerum 2000. In octava verò Epiphaniæ attigit numerum 24000. P. *Didacus Martinez* in festis Natali-

litiis Christi Domini offerebat Puerulum JESUM pulchrè ornatum Patri æterno, pro se & toto populo Christiano, eumq; in sua mensa collocatum centiès in die cum gaudio solebat adorare.

3tium punctum: Media exercendi oblationem.

1mum. Singulas actiones tam Spirituales, quàm indifferentes, imò vitam & mortem, tempus, & æternitatem, offerre DEO ex puro amore, per Christum, & cum Christo, tanquam redemptori in unione ejus meritorum. Quod ultimum dupliciter fieri potest: *1mo.* In communi *vg.* Offero tibi DEUS mi hanc oblationem ex amore Tui, in unione meritorum Christi, & redemptoris mei. *2do* In particulari, *vg.* Offero tibi DEUS mi hanc orationem in unione Christi in horto orantis; hanc desolationem in unio-

ne

ne illius Christi desolationis, dum iret ad hortum, & cæpit tædere, pavere, & mæstus esse; hanc delationem, in unione illius falsæ accusationis; hanc sitim, in unione illius Christi Domini sitis, in qua, potatus est felle & acetô, hanc quietem, in unione illius duri lectuli crucis, in qua, requievit Redemptor meus.

2dum. Offerre ipsum Christum Dominum, quod similiter dupliciter fieri potest *1mo.* Offerendo Patri æterno illa omnia sacrificia, quæ hac hora, in aliqua mundi parte offerunt in recognitionem illius infinitæ majestatis, & supremi Dominij, in gratiarum actionem pro NN. in impetrationem gratiæ NN. & in satisfactionem pro NN. tum magis ad particularia descendendo, & offerendo Christi Domini labores, sangvinem, mortem. Item

præ-

præcipuas Christi Domini Virtutes, sicut fecit S. *Mechtildis*, offerendo Christi humilitatem & mansvetudinem in satisfactionem pro peccatis iræ, liberalitatem pro avaritia, fervorem pro acedia, vitæ puritatem, pro peccatis cogitationum, verborum, & operum, obedientiam pro inobedientia, abstinentiam pro intemperantia, deniq; Sanctissimam ejus conversationem, pro defectibus in conversatione cum proximis commissis. 2do. Offerre Christum ipsi Christo, præcipuè sangvinem illius, pro obtinenda venia, gratia, gloria.

3tium. Usus ejaculatoriorum.

Vota mea Domino reddam, in conspectu omnis populi ejus. *Ps.* 115: Ecce Domine quidquid sum, quidquid possum, quidquid sapio, totum tibi offero S. *Aug*: Protector noster, aspice DEUS, & re-

spice,

ſpice, in faciem Chriſti Tui *Pſ.* 83. O! quantùm tibi debitor ſum Domine DEUS meus, tantô redemptus pretiô S. *Aug:* Intuere dulcem natum, Pater æterne; toto corpore extenſum, cerne manus innoxias, piô manantes ſangvine, & remitte placatus ſcelera, quæ patraverunt manus meæ S. *Auguſtinus.*

PRAXIS XXII.

De natura, motivis, & medijs, Orationis.

1*mum punctum.* Oratio eſt colloquium cum DEO, quô petimus, quæ nobis *vel* alijs ſunt neceſſaria, ita: Buſæus in viridario.

Gradus Orationis ſunt tres

1*mus.* Ut fiat rectè quò ad intentionem. 2*dus.* Ut fiat integrè quò ad ſubſtantiam. 3*tius.* Ut fiat

at diligenter quò ad modum & circumstantias, quis, quid, ubi &c.

Actus interni benè peragendæ Orationis.

Propositum firmum benè orandi. Expedire animum, à curis & præparare ad orationem. Resistere fortiter distractionibus. Attendere tum ad verba ne erret, tum ad sensum, eliciendo proportionatum affectum, tum ad personas. Collocare se in præsentia DEI, ùt reum, coram Judice, infirmum, coram medico, Pauperem, coram Rege, infantem, coram Parente.

Actus externi Orationis sunt:

Diligenter custodire sensus, præcipuè oculos. Reverenter se habere, quò ad situm in oratione. Cavere ab impellationibus inter orandum. Devotè ac integrè verba pro-

proferre. Non properare; sed, quasi ultimum sit opus, orare; Post orationem, facere reflexionem, & pænitentiam aliquam voluntariam subire.

2dum punctum. Motiva diligentèr agendæ Orationis.

1mum. Dignitas orationis, quæ comparatur incenso & sacrificio. *Ps.* 40. Dirigatur Domine oratio mea. sicut, incensum in Conspectu tuo. Elevatio manuum mearum, sacrificium vespertinum.

2dum. Necessitas Tum ex parte hostium, mundi, carnis, & dæmonis continuò nos oppugnantium, qui sinè oreatione Superari non possunt. Undè Christus monet, Apostolos: *Matt:* 19. Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem. Tum ex parte infirmitatis nostræ, quia nihil possumus sine gratia DEI, nisi ruere inpræceps. Tum deniq; ratio-

num multarum, tam Spiritualium, quàm corporalium necessitatum, quibus sola oratio novit succurrere.

3tium, *Utilitas multiplex*: 1ma. Quià oratio penetrat Cælos ideò à S. *Aug*: vocatur *Clavis Cæli*: 2da. Quia præsentat DEO nostras necessitates, ideò vocatur *Scala Jacob*, per quam Angeli ascendunt cum necessitatibus, & descendunt, cum auxilijs Divinis ad nos. 3tia. Quià impetrat veniam, ùt patet in Publicano: *Luc*: 18. 4ta Quià per orationem (inquit S. *Aug*:) *Ezechias* sanatur, *Saulus* efficitur *Paulus*, & Doctor Gentium *Ieremias* confortatur in Carcere. *Daniel* inter Leones exultat. *Job*: in sterquilinio nudus triumphat. Hæc ille.

4tum. Exempla. P. *Benedictus Herbestus Roxolanus Russiæ & Podboliæ* appellatus, tranquillissima mentis cum DEO unione intèr tot distra-

ctio-

ctiones fruebatur, quam oratione fovebat, nam duabus horis antè alios ad eam producendam surgebat, & antè mortem jussit exire infirmarium, ut oraret, quem invenit flexis genibus in terram inclinatum, librô ex quo oravit, penes ipsum jacente obijt *Jaroslaviæ* 4*ta* *Martij* 1593.

3*tium punctum.* Media orationis benè expediendæ.

1*mum.* Petendum ex tribus modis orandi S. P. N. Ignatij nobis traditis.

2*dum.* Consistit in his: 1*mo.* Avoca animum ab omnibus curis. Intentionem fac. Divinum auxilium saltem mente breviter implora, & propositum firmum benè orandi institue. 2*do.* Applicare seriò corporis potentias & animæ ad orandum. Imprimis *memoriam* ut fugiat voluntarias distractiones, & renovet propositum

tam initio (Si Psalmos dicis) quàm in fine cujusq; psalmi. Deindè *intellectum* ut percipiat sensum psalmorum, ac si non alium accepta verba sed nostra efficiat. Timendo (inquit S. *Aug:*) cum timet Propheta, amando cum amat, laudando cum laudat. Tandem *voluntatem* ut eliciat affectus convenientes sensui, attendendo præcipuè ad quasdam voces frequentius occurrentes *vg.* DEUS, nos homines, ad vocem, nos homines, affectum humiliationis, contritionis, timoris. 3*tio.* Desiderare Dominum DEUM laudare eô affectû, quô eum laudant Sancti ejus collocando se in præsentia Divinæ Majestatis cum illis *Isa:* 6. Seraphinis acclamantibus Sanctus, Sanctus, Sanctus; nunc cum Sanctis Apostolis *Apoc:* 7. precedentibus in suas facies, & DEUM laudantibus; nunc cum Sanctis Patriarchis, Prophetis Martyribus &c 3*tium.*

3tium. Usus Ejaculatoriorum.

DEUS DEUS meus ad Te de luce vigilo. *Ps.* 62. Dirigatur Domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo. *Ps.* 140. Expandi manus meas ad Te: anima mea, sicut terra sinè aqua tibi. *Ps.* 142. Velocitèr exaudi me Domine, defecit Spiritus meus. *Ibidem.*

PRAXIS XXIII.

De natura, motivis, & medijs, Patientiæ

1mum *punctum.* Patientia est virtus, quâ mala hujus sæculi æquô animô sustinemus, ita, ut propter illa nec interius immoderatè turbemur, aut tristemur, nec exterius aliquid minus inhonestum admittamus.

Gradus Patientiæ sunt tres.

1mus. Adversa ferre patienter 2dus.

Libenter, seu promptè ac facilè. 3tius. Hilariter.

Actus interni Patientiæ sunt:

Æquô animô ferre defectus aliorum, tam naturales, quàm morales. Odium & aversionem contra adversarios non fovere, sed illis ex animo ignoscere. Bonum optare, & amare illos, qui nos persequuntur. Injurias innocenter illatas hilariter ferre.

Actus externi Patientiæ sunt:

Dicta aliorum irrisoria, detractoria, & acerba tolerare. Pœnitentias etiam ob inculpabiles defectus ferre. Contra adversarios, & detractores non conqueri, nec de illis sinistrè loqui. In reprehensionibus ab excusationibus abstinere. Omnes motus, & gestus exteriores, impatientiæ, cohibere.

2dum. *punctum.* Motiva Patientiæ sunt hæc.

1mum. Quia patientia summè est necessaria; tum quia inpatiens Religiosus manens in communitate, omnibus, imò & sibi ipsi est gravis, magnisq; tentationibus exponitur, tum quia per impatientiam multiplicantur peccata, tum quia sine patientia culmen perfectionis non conscenditur; tum deniq; quia Regnum DEI vim patitur, & alibi Christus dixit: In patientia Vestra possidebitis animas vestras.

2dum. Quia patientia est valdè utilis. Patientia (inquit *Tertulianus*) fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adjuvat, humilitatem instruit, pænitentiam expectat, confessionem assignat, carnem regit, Spiritum servat, lingvam frænat, manum continet, tentationes conculcat, scandala pellit, Martyria consumat.

3tium. Exemplum Christi Domini

& aliorum Sanctorum præcipuè Soc: nostræ, uti S P. N. *Ignatij* qui multa passus est amore DEI, & quôdam tempore interrogatus à *Patre Hieronymo Natali*, quænam esset compendiosissima ad perfectionem via? respondit: Si multa adversa, magnaq, pro Christi nomine & amore patiâre. Pete hanc gratiam à DEO, nam cum Dominus hoc tribuit, multum tribuit.

3tium punctum. Media acquirendæ Patientiæ.

1mum. Consistit in his: *1mo.* Ut manè & alijs temporibus prævideas occasiones aliquas tolerandi adversa, & animum contra illa armes *2do.* Ut oblata occasione patiendi, motus et vocem impatientiæ contineas, & magno cum affectu gratitudinis cum Christo, crucem amore illius amplectaris. *3tio.* Ut si aliquid amaritudinis ex dictis, aut factis pro-

ximi,

ximi, contra se senseris, statim te humilies, licet ipsius sit culpa. Deindè prævenias illum aliquô beneficiò corporali, si potes aut Spirituali, exemplô Christi Domini, nullo autem modô de vindicta cogitando.

2dum. In sacrificio Missæ circa offertorium, & elevationem, manè coram V. Sacramento, & quotiescunq; illud visitabis, offer te DEO Patri unà cum Christo mira pro te posso, ad omnes tribulationes à quocunq; tanquam à manu ejus acceptandas undècunq; venerint.

3tium. Usus ejaculatoriorum.

Bonum mihi, quia humiliasti me ut discam justificationes tuas *Ps.* 118. Cognovi Domine, quia æquitas judicia tua, & in veritate tua humiliasti me. 118. Ecce ego in flagella paratus sum. Mihi aut. m ab. sit gloriari, nisi in cruce Domini

nostri JESU Christi. Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum emolior, ut mundus panis inveniar. In vita S. *Ignatij Martyris*. Domine hic ure, hic seca, dummodò in æternum parças. S. *Aug*: Quis me separabit à charitate Christi, tribulatio, an angustia.

PRAXIS XXIV.

De natura, motivis & medijs Pœnitentiæ.

1mum *punctum*. Pœnitentia est virtus, quâ peccata nostra, ut sunt DEI offensæ detestamur, & ad eorum expiationem & satisfactionem venire contendimus Ita *Alvarez*

Gradus pænitentiæ sunt tres.

1mus. Dolere de peccatis formidine pœnæ à DEO infligendæ, ut à justô Judice. 2dus. Dolere quia offendimus DEUM ut benefactorem nostrum.

ſtrum. 3tius. Dolere de peccatis, quia ſunt offenſæ DEI, ut ſummi boni.

Actus interioris Pænitentiæ.

Sæpè renovare propoſitum non committendi deliberatè etiam leviſſima peccata. Velle potius quævis adverſa honoris, & corporis, imò & vitæ periculum, & pænas inferni ſubire, quàm DEUM ſummè bonum offendere. Velle omnia præcepta DEI, & ſuas Regulas ſervare. De admiſſis peccatis ſtatim dolere, quod DEUM ſummè bonum offenderimus, Deteſtare peccatum ſupra omne malum.

Actus exterioris Pænitentiæ.

Confiteri etiam venialia exactè, quò ad ſpeciem, numerum, & alias circumſtantias. Pænitentias ſibi injunctas diligentèr expedire. Voluntarias pænitentias, ſeu afflictiones corporis, ſæpius uſurpare. Senſus exteri-

ores, & alias cupiditates mortificare. Pro remissione peccatorum orare.

2dum punctum. Motiva Pænitentiæ sunt hæc:

1mum. Necessitas duplex: una *præcepti* de quo *Mat:* 3. *v.* 4. Pænitentiam agite, appropinquavit enim Regnum Cælorum; alia *media* de *Luc:* 13. Nisi pænitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.

2dum. Dignitas pænitentiæ: Quia comparatur actui nobilissimo Religionis, nempè sacrificio. *Ps.* 50. Sacrificium DEO Spiritus contribulatus, cor contritum &c.

3tium. Utilitas multiplex descripta à *S. Chrysostomo* his verbis: O! pænitentiam, quæ *1mo.* peccatum miserante DEO, remittis, & paradisum reseras. *2do.* Quæ contritum sanas hominem, & tristem exhilaras. *3tio.* De interitu revocas. *4to.* Statum

restau-

restauras. 5*to.* hominem renovas, 6*to.* Fiduciam das. 7*mo.* Reformas vires. 8*vo-* Gratiam abundantiorem refundis. *Et Paulò inferius:* O! pænitentia misericordiæ mater, & magistra virtutum, magna opera tua, quibus reos solvis, ac reficis delinquentes, lapsos relevas, recreas desperatos. Per te subitò rapuit Latronem Christus ad Regnum; per te *David* post flagitium felix, iterùm recepit Spiritum Sanctum: Hæc S, *Chrysostomus.*

4*tum.* Exemplum: *Laurentius Massomus* agonisans, cum illi Superior diceret: se ire pro illo sacrum celebraturum, & quæreret, quod sibi vellet peti â DEO, respondit: dolorem de peccatis, & veram contritionem. P. *Julius Mancinellus* corpus suum stillantibus guttis candelæ adurebat, & disciplinas ferreis catenis faciebat.

3tium punctum. Media acquirendæ Pænitentiæ.

1mum. Frequenter revolvere, aliquam ex illis materijs, quarum aliquæ spectant ad viam purgativam, uti est. *1mo.* gravitas, & fæditas peccatorum. *2do.* Inscrutabilia judicia DEI, ingratos ac tepidos sæpè deserentis, æternumq; reijcientis, eò, quod fuerint abusi longanimitate illius. *3tio.* Damna peccatorum in hac vita, in morte, ac post mortem toleranda. *4to.* Memoria æternitatis, tum malæ quæ ob rem vilem & exiguam incurritur; tum bonæ, quæ, si in beatos ægritudo caderet, maximè illos affligeret, quod aliquando DEUM graviter levi ex causa offendissent. Aliquæ ad viam illuminativam, cujusmodi sunt: *1mo.* Passio Christi mira facientis, & dira patientis pro peccatis tuis *2do.* Magnitudo aliorum beneficiorum, tam generalium, quam

par-

particularium naturæ & gratiæ. 3*tius* Sepduplex misericordia à S. *Bernardo Serm de* 7. panibus ostensa, nempè: 1*ma* Præservatio à multis pccatis. 2*da* longanimitas in tolerandis tot admissis. 3*tia* Exstimulatio ad pænitentiam. 4*ta*. Susceptio pænitentiæ. 4*ta*. Efficax voluntas emendationis. 5*ta*. Gratia bonæ conversionis. 7*ma*. Spes firma perseverantiæ & gloriæ. Aliquæ ad viam unitivam; amabilitas DEI infinita, qui dignus est infinito honore & amore propter se ipsum: cum sit infinitè sapiens, potens, benignus, misericors, justus, &c. continens in se eminentissimè omnem rationem boni, omnis perfectionis, omnis amabilitatis, cui omne peccatum valdè displicet.

2*dum*. Determinare sibi certa tempora eliciendi actus contritionis & mortificationis exterioris, *vg*. 1*mo*. Manè post surrectionem, & post ora-

orationem opusvè aliud alicujus momenti. 2do. Ad initium missæ confiteor, & post peccatum gravius admissum. 3tio. Ante communionem spiritualem. 4to. In visitatione V. Sacramenti. 5to. In utroq; examine generali. 6to. Quoties peccata præterita in mentem venient, & occasiones. 7mo. Quotiescunq; aliqua tentatione impugnaberis.

3tium. Usus ejaculatoriorum.

Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave, gravatæ sunt super me *Ps.* 37. Si iniquitates observaveris Domine, Domine, quis sustinebit. *Ps.* 129. Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. *Ps.* 37. Cor contritum & humiliatum DEUS non despicies. *Ps.* 50. Ne projicias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me *Ibidem:* Delicta juventu-

tis

tis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine *Pſ.* 24. Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me, quia inops & Pauper ſum ego *Pſ.* 85. Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, ut non moveantur veſtigia mea.

Quis ſicut Dominus DEUS noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo & in terra *Pſ.* 112. Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo *Pſ.* 141. Utinam te, O! infinita bonitas nunquam offendiſſem! doleo O! mi DEUS, quod te DEUM meum offenderim *&c.*

PRAXIS XXV.

De natura, motivis & medijs Paupertatis.

1mum punctum. Paupertas eſt virtus, quæ moderatur appetitum poſſi-

den-

dendi res temporales, ut folis neceffarijs fecundum ftatum rationis contenti fimus. *Ita Alvarez*

Gradus præcipui Paupertatis. funt tres.

1mus. Nihil dare, accipere, difpenfare, commodare, permutare, finè facultate, & fuperflua refecare. *Reg: Summ:* 26. *2dus.* Ex neceffarijs viliora eligere, & eorum penuriam etiam in infirmitate pati. *Reg:* 25. *3tius.* Quærere affectu, & effectu, in victu, veftitu, loco, occupationibus, incommoditates, & cum lætitia DEI folius amore tolerare illas, nullum pro hac re expectando præmium, qui gradus eft Apoftolicæ paupertatis, & propriè Societatis, ut patet ex *Reg: Summ:* 27.

Actus interni Paupertatis funt.

Propofitum facere vitandi defectus voluntarios contra paupertatem. Amare paupertatem, ut matrem. Defidera-

derare amore Christi, famem, sitim, frigus tolerare. Gaudere de vilioribus oblatis. Judicare se indignum, ob tot peccata locô, cibô. &c.

Actus externi Paupertatis sunt.

Nullâ re tanquam propriâ uti, & pro oblata non murmurare. In confessione de minimis defectibus contra paupertatem se accusare. Pro minimis rebus dandi vel accipiendi, facultatem accipere. Singularitates, in victu, vestitu, loco, occupatione vitare. Res ad usum sibi datas tanquam Christi essent, tractare. Pro rebus malè tractatis aut destructis pænitentiam petere. Contra cibum, potum, & alia non murmurare. Necessaria non cum nimia solicitudine procurare.

2dum punctum. Motiva Paupertatis sunt hæc:

1mum. Quia Paupertas Religiosum liberat à multis curis, quæ instar spi-

ſpinarum pungunt mentem.

2dum. Præmium in hac & in altera vita; centuplum videlicet, & vitâ æterna à Chriſto Domino promiſſa *Matt:* 19. de qua re S. *Hieronymus*: O! quanta inquit! beatitudo, pro parvis recipere magna, pro brevibus æterna. pro mortuis, ſemper viventia, & habere Dominum DEUM debitorem.

3tium. Exemplum Chriſti Domini B. V. M. Apoſtolorum, & noſtrorum Societatis JESU Patrum *Joannes de Laage Belga* amore paupertatis, nec caſu quidem inventam aciculam in ſuos uſus, niſi approbante Superiore convertit.

3tium punctum. Media paupertatis acquirendæ.

1mum. Certis temporibus introſpicere regulas ſuas, an aliquid ſit ſuperfluum in illis, aut curioſum, aut ſine facultate ſtatimq; amovere ex devotio-

votionalibus. Juvabit habere catalogum rerum ſuarum, & illum, niſi cum præmiſſi bona conſideratione, augere, vel minuere.

2dum. Memoria ſtatus & profeſſionis ſuæ.

3tium. Uſus ejaculatoriorum.

Mihi autem adhærere DEO bonum eſt. Jacta ſuper Dominum curam tuam & ipſe te enutriet.

Quid mihi eſt in Cœlo, & a te quid volui ſuper terram.

Ego verò egenus & pauper ſum Dominus ſolicitus eſt mei.

Parcet inopi & pauperi & animas pauperum ſalvas faciet.

PRAXIS XXVI.

De natura, motivis, & mediis Perſeverantiæ.

1mum punctum. Perſeverantia, accepta non pro dono permanendi in

gratia DEI, sed pro virtute fortitudinis juxta S. *Aug:* est: in oratione benè considerata stabilis & perpetua permansio.

Gradus perseverantiæ sunt tres.

1*mus*. Velle perseverare in actione virtutis inchoatæ, donec tota absolvatur, seu est voluntas exequendi bona proposita, 2*dus*. Persistere firmiter in exercitio virtutis inchoato resistendo omnibus difficutatibus occurrentibus 3*tius*. Permanere cum gaudio in actione virtutis inchoata, superando omnes difficultates.

Actus interni perseverantiæ sunt.

Diffidere viribus suis, & in DEI auxilio totam spem ponere. Tædium & tristitiam in perficiendis propositis superare. Tepori in exercitio virtutis strenuè resistere. Desiderium placendi DEO in omnibus excitare. Respectus humanos calcare. Defatiga-

tio-

tionis timorem, & defectionis moderari.

Actus externi Perseverantiæ sunt:
In loco, & occupatione sine ulla excusatione manere diutius, si voluntas sit Superiorum. Vituperia hominum, & irrisiones contemnere. Nullis hominum persvasionibus à benè cæptis recedere. Asvescere dura pati. Sensualitati resistere continuò mortificatione pugnando, DEUM pro obtinenda virtute perseverantiæ rogando.

2dum punctum. Motiva Perseverantiæ sunt hæc:

1*mum.* Quia perseverantia in benè cæptis est necessaria, propter has causas: 1*ma.* Quia virtus (inquit S. *Laur: Justinianus*) laudem non meretur nisi viriliter in ea perseveretur. Undè *Apoc:* 1. *ad Cor:* 9. Sic currite, ut comprehendatis. Et S. *Augu:* Non est magnum inchoare, quod bonum est, at consumare hoc solum perfectu-

est.

est. *2da.* Quia labor virtutis est, dum semel struimus & mox destruimus. *3tia.* Quia turpè est instar arundinis ventò agitatæ multa inchoare, & nihil perficere. *4ta.* Quia ad salutem, consequendam perseverantia omninò est necessaria, ipso Christo dicente: Qui perseveraverit usq; in finem hic salvus erit; undè qui est inconstans in benè cæptis, facilè labitur imprimis in leviora, tum in graviora, à quibus apostasia initium sumit, quam sequitur naufragium salutis.

2dum. Quia perseverantia in benè cæptis, valdè facilem reddit exercitationem virtutum, quæ gravis redditur illis, qui semper incipiunt, & nunquam perficiunt.

3tium. Quia ad perseverantiam multorum exempla possunt nos pertrahere. *1mo.* Christi Domini dicentis in Cruce consumatum est. *2do* SS.

Mar-

Martyrum præcipuè Societatis nostræ. 3*tio*. Filiorum Sæculi, qui pro vana gloria in bello & alijs occasionibus constantèr agunt. 4*to*. Eorum, qui propter defectum perseverantiæ in benè cœptis naufragio salutis exponuntur, ut erat: *Saul*, *Salomon*, *Judas*, *Nicolaus*, *Diaconus*.

3*tium punctum*. Media acquirendæ Perseverantiæ.

1*mum*. Non statim circa multa & magna propositum facere & exercitium inchoare, sed à parvis & minimis initium sumere. Deindè in eodem negotio certum sibi tempus designare, & illud exactè observare. Tandem si angustiâ temporis pressus, id, quod decreveras, prohibearis facere, cura saltem, ut intra breve tempus facias. Si verò amisisti, repete, imò etiam superadde aliquid, licet, id sine tua culpa acciderit.

2dum. Consistit in his: *1mo.* In visitatione V. Sacramenti, offerre Christo Domino *2do.* B. V. MARIÆ, aut S. Angelo Custodi, aut alijs Sanctis Patronis certum numerum victoriarum sui. *3tio.* Promitte Superiori aut P. Spirituali tot, & tot actus, tam internos, quàm externos illius exercij elicere & defectum spontaneâ pænitentiâ corrigere.

3tium. Usus ejaculatoriorum.

Fiat manus tua, ut salvet me, quoniam mandata tua elegi *Ps.* Propter verba labiorum tuorum, ego custodivi vias duras. *Ps.* Perfice gressus meos in semitis tuis ut non moveantur vestigia mea. *Ps.* Confirma hoc DEUS, quod operatus es in nobis. *Ps.* Deduc me Domine in via tua *Ps.* DEUS meus fortitudo mea, & ponet pedes meos, quasi cervorum. *Abacuc:* Respice de Cælo & visita vineam istam, & perfice eam,

quam

quam plantavit dextera Tua *Ps.* 79.

PRAXIS XXVII.

De natura, motivis, & medijs Præsentiæ Divinæ.

1mum. *punctum*: Præsentia DEI, est applicatio mentis, & affectus, ad DEUM præsentem per fidem conceptum.

Gradus acquirendæ Præsentiæ Divinæ sunt tres.

1mum. Facere propositum exercendi se, in hoc exercitio. 2dus. Constantem esse in mandando executioni prædicto proposito, nec permittere se distrahi à rebus terrenis. 3tius. Cum gustu spirituali sæpè cum DEO, & de DEO agere.

Actus interni Divinæ Præsentiæ sunt.

Velle in omnibus, etiam in minimis voluntatem DEI sequi. De

ſiderare DEO per omnia placere. Dolere de offenſis DEO illatis. Recurrere frequenter ad DEUM, illumq; adorare. Meditari de attributis Divinis. Optare, ut omnia Dominum DEUM agnoſcant.

Actus externi præſentiæ Divinæ ſunt.

In oratione, ſacro, examine &c. reverentem ſitum curare. Inter ſurgendum, ambulandum, ſedendum, comedendum, bibendum, decumbendum &c. Nullum membrorum nudare, aut divaricare. In converſatione ſigna erumpentia paſſionum moderari. Circumſpectè loqui, & omne peccatum vitare. Oculorum & aliorum ſenſuum modeſtiam ſervare. Ordinarias actiones exactè, tanquam in conſpectu DEI peragere.

2dum punctum. Motiva præſentiæ Divinæ.

1mum.

1mum. Quia exercitium præsentiæ DEI modo quem infra in medijs proponemus est facillimum, præstantissimumq; & utilissimum. *Est.* *1mo. facillimum*: præ alijs, quia non requirit discursum subtilissimum & imaginationem, quæ caput defatigat, sed solum per actum fidei, concipit DEUM sibi præsentem, & statim ad pios affectus erga illum descendit; undè sequitur imprimis quod etiam rudes & ægri huic exercitio possint vacare. Deindè quod quilibet in illo diù possit perseverare, non sicut in alijs pijs exercitijs, quæ solent fatigare hominem, & constantiam debilitare. *Est* *2do. præstantissimum* quia cor humanum nullius Creaturæ bonis potest contentari, nisi prœsentiâ DEI qui est infinitum bonum. *Est & 3tio. utilissimum* tum quia præsentia DEI refrænat peccata, tum quia prove-

hit citò ad perfectionem, ut patet in S. *Dorotheo*; qui post quinquennium in servitio DEI exactum, visus est intèr antiquos Eremitas locum in Cælo obtinuisse, eò, quòd monitum sibi datum in ingressu à Spirituali Magistro diligenter servasset Erat autem hoc. Nunquam cordi tuo DEUS excedat, cogita semper DEUM præsentem, & te coram illo stare.

2dum. Exempla. *Hieronymus Cygnardus* præsentiam DEI fovebat tum per frequentem renovationem dictorum & factorum, tum per ardentes actus elicitos amoris DEI. Scholastici etiam qui erant subditi *P. Sylveiræ Martyri* in medijs studijs eandem præsentiam DEI retinebant per eiaculatorias orationes breves, ita, ut aliqui decies millies in die Sanctissimam Trinitatem invocarent, & in studijs multum

tum profecêre teste *P. Godvino Lib:* 3. *Cap:* 10. in vita. *P. Silveiræ.*

3tium punctum. Media obtinendæ præsentiæ DEI.

1mum. Idq; præcipuum est ex quo alia sequuntur quæ tradit P. *Alphonsus Rodriquez* 1. *par: Tract:* 6. *ca:* 2. *Suarez* & alij cum illis recentiores. Consistit in intellectu & voluntate. Sic imprimis intellectus sine ulla ratiotinatione cognoscit sibi DEUM præsentem sola fide viva; quod dupliciter fieri potest: *1mo.* Per essentiam, quâ suâ substantia Cælum & terram implet teste *Jerem:* c. 23. Proindè ubiq; est præsens DEUS. *2do.* Per præsentiam, quia omnia clarè ab æterno cognoscit, scrutaturq; corda & renes nostros. *3tio.* Per potentiam, quia omnibus dat esse, & operari,

ita concurrendo ad omnes actiones nostras, ut sine illo nihil facere possimus. Deinde voluntas circa DEUM sic ab intellectu cognitum, & sibi propositum proportionatos elicit affectus (in quibus præcipuè hoc exercitium consistit) *vg.* Timoris, ne in illius conspectu peccet. Reverentiæ,ut illum adoret; fervoris ac diligentiæ,ut in conspectu ejus ordinarias actiones benè perfectèq; expediat.

2dum. Similè priori, versatur circa alia attributa Divina, circa quæ prius per fidem ab intellectu apprehensa voluntas exerceat actus suos. *vg.* Circa DEUM ut summè verum, actus fidei, ut summè misericordem, actus spei,ut summè bonum, actus amoris, ut summè providentem, actus resignationis, & indifferentiæ, ut finem omnium Creaturarum, actus puræ intentionis, de

qua

qua superius de obla; ut summè liberalem, actus gratitudinis, ut summè justum actus detestationis peccatorum, & sic de alijs.

3tium. Ex bonitate Creaturarum assvescere mentem elevare ad DEUM infinitè bonum, à quo cætera veluti a fonte rivuli seu a mari fluvij derivantur, quod possit fieri *1mo.* Ex consideratione Creaturarum tum inanimatarum, uti sunt: Cæli, stellæ, sol, & luna, quatuor elementa in singulorum pulchritudine, dispositione *&c.* agnoscendo Divinam potentiam, sapientiam, bonitatem &c. Tum animatarum tam rationalium uti sunt homines & Angeli, quâm irrationalium, uti sunt animantia omnia, desiderando, ut omnia Creatorem suum laudent tecum. *2do.* Ex perceptione objectorum, & rerum delectabilium sensuum, *v.g.* Si quid jucundi vides

audis, guſtas, odoraris ſtatim ex his aſcende mente ad DEUM, nunc cogitando, quantò magis author omnium horum ſit jucundior, nunc illi gratias agendo pro communicatione ſuæ bonitatis Creaturis; nunc ingratitudinem & abuſum Creaturarum coram illo deplorando, nunc rectum illarum uſum implorando, nunc illi mortificationem, *vg.* Viſûs offerendo.

4tum. Uſus ejaculatoriorum quadruplicium ſcilicet Viæ purgativæ, Illuminativæ, unitivæ, & mixtæ.

Ejaculatorij Viæ purgativæ.

Reminiſcere miſerationum tuarum Domine, & miſericordiarum tuarum, quæ à ſæculo ſunt *Pſ.* 24. Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum eſt enim. *Ibidem.* Propter gloriam nominis tui Domine libera nos & propitius eſto peccatis noſtris, propter

no-

nomen tuum *Ps.* Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum *Ps.* 37. Utinam te Domine nunquam offendissem! ne proijcias me à facie tuâ & Spiritum S. Tuum ne auferas à me *Ps.* 50. Malo millies mori; quàm te O! infinita bonitas, offendere.

Illuminativæ.

Illumina Domine oculos meos ne unquam obdormiam in morte. *Ps.* 12. Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo. *Ps.* 26. Deduxisti me, quia factus es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici *Ps* 60. DEUS adjutor noster in æternum *Ps.* 61. DEUS virtutum convertere, respice de Cælo, & vide, & visita vineam istam *Ps.* 79. Misericordia tua Domine magna est super me, eruisti animam meam ex inferno inferiori. *Ps* 85.

Unitivæ.

Tu es spes me, portio mea in

terra viventium *Ps.* 141. Bonus es Domine sperantibus in te, animæ quærenti te. *Ibidem.* Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benè fecit tibi *Ps.* 114. Non moriar, sed vivam, & narrabo opera Domini. *Ps.* 117. Quàm dilecta tabernacula tua Domine. *Ps.* 83.

Ejaculatoriæ mixtæ ad singulas actiones usurpandæ.

In matutina surrectione.

Anima mea desideravit te in nocte, &c. te enim, in te, & per te sunt omnia. DEUS meus & omnia. Surge velociter anima mea, & illuminabit te Christus, qui promisit coronam vigilantibus & orantibus. *Eph.* 5. Credo in te Domine, & in te spero, ac toto corde diligo. DEUS, DEUS meus ad te de luce vigilo. Et ego ad te Domine clamavi, & manè oratio mea perveniet te *Ps.*

Inter vestiendum

In-

Induite vos ergo ſicut electi DEI Sancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam. *Col:* 3. ℣. 12.

In lotione faciei & manuum

Amplius lava me Domine ab iniquitate mea & à peccato meo munda me *Pſ:* 50. Aſperges me Domine hyſopô, & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor. *Ibid:* Cor mundum crea in me DEUS. & Spiritum rectum innova in viſceribus meis. *Ibidem.*

In e reſſu cubiculi.

Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. *Pſ.* 24. Cuſtodi me Domine, ut pupillam oculi, ſub umbra alarum tuarum protege me. *Pſ.* 16. Deduc me Domine in ſemitam mandatorum tuorum *Pſ.* 118. Mitte Domine Angelum Sanctum tuum, qui me cuſtodiat in omnibus vijs meis. Utinam dirigantur

viæ

viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas. *Ps.* 118. Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, ut non dominetur mei omnis injustitia.

In aspersione aquæ benedictæ.

Aquâ benedicta, deleantur nostra delicta. Hujus aquæ tactus propulset dæmonis actus. Asperges me Domine hysopô, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor.

Intrando Ecclesiam & ante orationem.

In conspectu Angelorum psallam tibi DEUS meus *Ps.* 181. Psallite, Regi nostro, psallite. *Ps.* 41. Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus *Ps.* Ecce sicut oculi servorum in manibus Dominorum suorum

rum, ita oculi mei ad te DEUS. *Ps.* Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam. *Ps.* Domine in multitudine misericordiæ tuæ introibo in Domum tuam, adorabo ad templum S. tuum, & confitebor nomini tuo Domine. *Ps.* Per te habeamus accessum ad Filium, O! inventrix gratiæ, genitrix vitæ, Mater salutis, MARIA!

Initio cujusvis actionis.

DEUS in adjutorium meum intende &c. *Ps.* 69. Doce me facere voluntatem tuam, quia DEUS meus es tu. *Ps.* 1. Domine in unione meritorum Christi offero tibi hoc opus.

Initio Studiorum.

Doce me facere voluntatem tūam &c. Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Da mihi Domine sedium tuarum assi-

stri-

ſtricem ſapientiam, & noli me reprobare.

In uſu delectabilium.

Delectâſti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Quam magnificata ſunt opera tua Domine, nimis profundæ ſunt cogitationes *Pſ.* 9. Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra, *Pſ.*

In uſu cibi delectabilis.

Satiabor, cum apparuerit gloria tua *Pſ.* 16. DEUS qui me paſcis à juventute mea *Pſ.* 70. Aperis tu manum tuam, & imple omne animal benedictione.

In guſtu potûs delectabilis.

Sitivit anima mea ad DEUM fontem vivum, quando veniam & apparebo, ante faciem tuam. *Pſ.* 41.

In odoratu.

In odorem ungventorum tuorum currimus. *Cant.* 1. *In*

In recreatione.

Adhæreat lingva faucibus meis, si non meminero tui DEUS meus in principio lætitiæ meæ *Ps.* 136.

In ambulatione.

Et dum solus es.

Si ascendero in Cælum, tu illic es, si descendero in infernum ades. *Ps.* Providebam Dominum in conspectu meo semper. Dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu es DEUS salvator meus. *Ps.* 24.

In occasione peccandi.

DEUS cordis mei & pars mea DEUS in æternum *Ps.* 71.

In occasione patiendi.

Quis mihi det, ut moriar pro te Domine JESU:

In occasione laudis DEI.

Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

In reditu ad cubiculum.

Convertere anima mea in requi-

em tuam, quia DEUS benefecit tibi.

Initio horæ.

Quando veniam, & apparebo ante faciem tuam DEUS meus! MARIA Mater gratiæ &c.

In cogitationibus fœdis.

Per sanctissimam Virginitatem & immaculatam conceptionem tuam, purissima Virgo MARIA emunda cor & corpus meum: In nomine Patris &c.

Inter obdormiendum.

In pace in id ipsum dormiam & requiescam, Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me. *Ps.* 4. In manus tuas Domine commendo Spiritum meum.

Dum noctu evigilas.

Benedicam Dominum in omni tempore &c. Gloria Patri & Filio &c.

PRA-

PRAXIS XXVIII.

De natura, motivis, & medijs Prudentiæ.

1mum punctum. Prudentia est virtus intellectûs practici, quâ proposito nobis fine virtutis, media ad illam consequendam per consultationem inquirimus, & per judicium invenimus, & per præceptum efficax executioni mandamus. Brevius à Sancto Bernardo: est cognitio rerum appetendarum, & fugiendarum.

Gradus ejus sunt tres.

1mus. Est Consilium de re agenda, vel fugienda, quando per nos ipsos cogitamus, vel adhibitis consilis ab aliquo idem inquirimus. In hoc consilio, ut benè cedat servanda sunt hæc 1mum. Ut dirigatur ad legem mentis Divinæ, sicut ad amus-

amussim juxta illud: consilium meum justificationes tuæ. *Ps.* 118. *2dum.* Imploratio auxilij Divini. *Ps.* 142 Doce me facere voluntatem tuam, quia DEUS meus es tu. *3tium.* Diligens inquisitio & meditatio de re consilij. *4tum.* Spes in DEO juxta illud: ne innitaris prudentiæ tuæ *Pro: V.* 3. *2dus.* Est judicium, quô discernimus vera à falsis, in quo servanda sunt documenta à S. P. N. *Ignatio* data. *1mo.* Expendere, quid ad Majorem DEI gloriam potius expediat *2do.* Quid alteri in simili dubio consuleres. *3tio.* Quid in articulo mortis, & in judicio coram Christo stans de hac re censeres, atq; concluderes, hôc modo conclude. *3tius* Imperium, quô intellectus, ea, quæ cognovit efficaciter imperat voluntati ad perficiendum; accidere enim solet (ait S. *Thomas* 2. 2. *q.* 15. *ar.* 3.) ut quod rectè judica-

dictum est, differatur, aut negligenter, vel inordinatè agatur: & ideò post virtutem, quæ & benè judicativa, necessaria est finalis, virtus principalis, quæ est benè præceptiva, scilicet: prudentia. Hæc: S. *Doctor*.

Actus interni Prudentiæ.

Respicere finem in omnibus actionibus, ut juxta DEI beneplacitum fiant. Recurrere ad DEUM in omnibus actionibus & sibi diffidere. Rectificare Cogitationes ne extra DEUM vagentur; affectus mentis, ne in Creaturis immergantur; Voluntates, ne à DEO separentur; Intentiones, ne impuritati immisceantur; Et judicia, ne sinistrè de alijs formentur. Occasiones peccatorum, ac imperfectionum, vitare. Tentationum radices investigare, & scire illis remedia adhibere. Bonitatem & malitiam rerum, non ex

vul-

vulgi, sed ex sapientum opinione judicare. Rationem majorem habere DEI potius, & conscientiæ quàm hominum. In æstimatione rerum non abduci externa specie. Respectus humanos contemnere. Media apta ad consequendos bonos fines ordinare.

Actus externi Prudentiæ.

Superiori & Patri Spirituali sincere se manifestare, & consilijs eorum uti. Negotia, præcipuè alicujus momenti, non aggredi sine consilio. Circumspectè loqui & loquentes audire. Passionum signa erumpentia *vg.* iræ *&c.* domare. Proposita bona maturè executioni mandare. Propter respectus humanos à cæpto bono opere, non cessare. Revocare sibi finem vocationis in mentem, interrogando se cum S. *Bernardo: ad quid venisti.*

2dum punctum. Motiva Prudentiæ,

1mum.

1mum. Quia absq; prudentia aliæ virtutes in vitia delabuntur, vel per excessum, vel per defectum. Tolle hanc prudentiam (inquit S. *Bernardus*) & virtus erit vitium.

2dum. Quia prudentia est instar lucernæ illius. *Matt:* 6. ℣. 22. Lucerna corporis tui, oculus tuus, sine hac luce facile intellectus labitur. Non potest (inquit S. *Laur: Justinianus*) à malo fugere, & se in bono conservare, nisi in cunctis, quæ agit, adsit prudentia.

3tium. Quia prudentibus patet aditus ad Cælum, fatuis janua clauditur.

4tum. Exempla. *Franciscus Schlingisber Hybernus* ita considerate res aggrediebatur, ut devotionis etiam impetu se abripi non sineret, sed omnia ex consilio Superiorum agebat.

3tium punctum. Media acquirendæ prudentiæ. *1mum.*

1mum. Meditatio.

2dum. Examen particulare.

3ium. Nihil præcipitantèr, sed omnia præmeditatè aggredi, opus peractum examinare, an juxta legem DEI, rationis & Religionis, fuerit factum, & defectus non sinere impurè abire, sed eos per voluntarias pænitentias vindicare.

4tum. Usus ejaculatoriorum.

Viam justificationum tuarum instrue me. *Ps.* 118.

Da mihi Domine intellectum, ut sciam testimonia tua. *Ibidem.* Utinam dirigantur viæ; ad custodiendas justificationes tuas *Ibidem.* Loquere Domine, quia audit servus tuus. 1. *Reg:* 3. Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.

PRA-

PRAXIS XXIX.

De natura, motivis, & medijs Renuntiationis.

1mum punctum. Renuntiatio est bonorum temporalium abdicatio.

Gradus ejus à Cass: Coll: 3. cap: 6. assignantur tres.

1mus. Est: abdicatio divitiarum & facultatum. *2dus.* Est abdicatio morum pristinorum & amicitiæ carnalis. *3tius.* Est in quo subsistunt, qui à visibilibus præsentibus mentem avocantes, futura invisibilia tantummodo contemplantur. Quos omnes gradus conscendere jussus est *Abraham. Genes:* 12. *1mum.* Exi de terra tua, de facultatibus mundi *2dum.* De cognatione tua, â consangvineis. *3tium.* De domo Patris tui, de omni memoria mundi hujus.

Actus interni Renuntiationis.

Desiderare omnibûs temporalibûs amore DEI exui. Acceptare libenter defectus in cibo, potu, vestitu, loco, &c. Offerre DEO omnia mundi bona, ac delitias, si tuæ essent. Offerre DEO omnia bona corporis, & animæ tuæ.

Actus externi Renuntiationis.

Exercere se in vilioribus officijs, culinæ, refectorij &c. Mortificare sensus corporis. Fugere familiaritates, si obsint animæ etiam charorum.

2dum punctum. Motiva Renuntiationis.

1mum. Quia quicunq; vult esse amicus hujus Sæculi, inimicus DEI constituitur. *Jac.* 4.

1mum. Quia mundus *est stultus*, bonos deijciendo, malos exaltando, bona fucata diligendo, vera contemnendo. Deindè est *immundus*, eò quôd plenus peccatis, tandem *infidelis*

quia

quia suis asseclis, pro laboribus modicum terræ, vermes, & tormenta æterna solvit.

3tium. Quia Christus Dominus & exemplô, & doctrina à nobis exigit, qui non renuntiat (inquit) omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus *Luc:* 14.

4tum. Exempla. P. *Claudius Aquaviva Epis.* 4. persvasum habere instituti Societ: homines, & gubernationem, aliaq; ministeria fundari in vera abnegatione, & studio virtutum solidarum. *P. Balthasar Alvarez* quomodo in contemptu mundi profecit; lege vitam ejus.

3*tium punctum.* Media acquirendæ Renuntiationis.

1*mum.* Exercere se in actibus ejus.

2*dum.* Usus ejaculatoriorum.

Quid mihi est in Cælo, & à te, quid volui super terram. *Ps.* Do-

minus pars hæreditatis meæ. *Pſ.* 15. O! altitudo divitiarum, ſapientiæ, & ſcientiæ DEI. *Rom:* 11. Sordet mihi terra, dum Cælum aſpicio. S.P. *Ignatius.*

PRAXIS XXX.

De natura, motivis, & medijs Simplicitatis.

1mum punctum. Simplicitas eſt habitus varietate carens, & perverſæ cogitationis expers. Ita S. *Climacus*

Gradus ſimplicitatis ſunt tres.

1mus. Simplicitas cordis, quæ intentionem rectificat. *2dus.* Simplicitas oris, quæ duplicem ſermonem repellit. *3tius.* Simplicitas operis, quæ fraudem in actionibus vitat.

Actus interni Simplicitatis ſunt:

Reſpectus humanos contemnere. Laudes humanas non curare. Averſiones

nes non fovere. Alios non dijudicare. Intentionem rectam purè quærendi DEUM habere. Velle se candidè Superiori manifestare. Velle omnibus æqualiter prodesse, & salutem procurare. Existimationem bonam de omnibus habere, æqualem omnibus amorem exhibere. Semper in bonam partem interpretari omnia.

Actus externi Simplicitatis sunt.

In loquendo vitare mendacium, amplificationes, & amphibologias. Non aliud sentire, aut loqui; juxta illud; est, est, non, non. Candidè manifestare Superiori defectus proprios. In confessione etiam levia confiteri particulariter. Candidè ad interrogata respondere. Ignorantiam propriam non occultare. Verba politica, ironica, irrisoria, adulatoria, & pungentia vitare. Nil ultra vires attentare, & sua sorte contentum esse. Reprehensionibus, injurijs, & vitu-

perijs non perturbari. Converſationem cum Simplicibus libenter habere.

2dum punctum. Motiva Simplicitatis.

1mum. Præceptum Chriſti Domini *Matt:* 10. Eſtote prudentes, ſicuti ſerpentes, & ſimplices ſicuti, columbæ. Ubi prudentia conjungitur cum ſimplicitate, quia prudentia ſine ſimplicitate calliditas eſt, ſimplicitas ſine prudentia, ſtultitia eſt.

2dum. Quia ſimplicitas DEO placet. *Prov:* 3. Cum ſimplicibus ſermocinatio ejus. Undè Chriſtus Dominus *Matt:* 19. Sinite (inquit) parvulos venire ad me. Et: Niſi efficiamini ſicut parvuli non intrabitis in Regnum Cælorum.

3tium. Quia *Prov:* 10. dicitur ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter. Ad Cælum enim ſimplicitas eſt via ſecuriſſima. Cum *Prov:* 28. dica-

dicatur. DEUM ambulantes simpliciter, protegere.

4tum. Exempla. P. *Leonardus Lessius* ita simplicitatis ac sinceritatis amator fuit, ut solam speciem mendacij detestaretur, & nunquam verbis ambiguis uteretur. *Alphonsus Rodriquez* licet pulherrimum characterem haberet, tamen cum indigeret aliquâ sententiâ, rogabat Patrem aliquem, ut illam sibi scriberet, dicens: sibi ratione sui statûs non licere tangere sacros libros, nec legere, nec indè sententiam aliquam excerpere, sed manù alienâ.

3tium punctum. Media acquirendæ simplicitatis.

1mum. Curare tam in verbis, quàm in operibus, gestibus ac motibus, talem se exhibere omnibus extra, qualis est intra, familiaritates vitare, & omnibus se æqualem exhibere.

2dum. Usus ejaculatoriorum.

Averte oculos meos, ne videant vanitatem. *Ps.* 118. Dic animæ meæ Domine, salus tua ego sum. *Ps.* 34. Quâm bonus DEUS Israël his, qui rectô sunt corde. *Ps.* 72. Proba me DEUS, & scito cor meum *Ps.* 138. O! quâm excelsus es Domine! & humiles corde sunt domus tua. Ecce cor meum coram te est Domine, discute tenebras ejus, ut amoris tui charitate plenius perfundatur. *S. Aug:* Quis mihi det Domine, ut venies in cor meum? *Idem.*

PRAXIS XXXI.

De natura, motivis & medijs Spei.

1mum punctum. Spes est virtus Theologica, residens in voluntate, quâ firmiter ex gratia DEI, meritisq; præcedentibus, speramus beatitudinem æternam. Ita *Alvarez* *Gra-*

Gradus augendæ spei sunt tres.

1*mus*. Propositum firmum sperandi ea, quæ sub spem cadunt. 2*dus*. Fortitudo, undè spes vocatur ab Apostolo galia, anchora firma, & tuta. 3*tius*. Alacritas, de qua *ad Rom*: 15. DEUS autem spei, repleat vos omni gaudiô in credendo, ut abundetis in spe, & virtute Spiritûs Sancti.

Actus interni Spei sunt.

Sperare post mortem beatitudinem animæ, & corporis juxta illud: Credo quòd Redemptor meus vivit &c. *Job*: 2. Sperare in Cœlesti Patria vitam æternam. Sperare â DEO media ad vitam æternam obtinendam, uti sunt. 1*mo*. Remissio peccatorum. 2*do*. Extinctio vitiorum. 3*tio*. Mortificatio passionum. 4*to* Adeptio virtutum. 5*to*. Victoria tentationum. 6*to*. Cum DEO familiaritas. Sperare prædicta omnia, non ex proprijs meritis, sed ex Divina bonitate, & Chri;

Domini meritis, obtinenda.

Actus externi spei sunt

Verba illa Pater noster, qui es in Cælis. *Item* Et vitam venturi sæculi Amen, cum magno animi ardore dicere. Cum vides, audis, gustas, aliquid jucundi, exclama cum *Augustino*: Si tanta DEUS meus facis nobis in carcere, quid ages in palatio! Cum sentis te ad Creaturam aliquam affici, reprehende te. Dum tentaris aut aliquid pateris, erecta in DEUM spe, dic: DEUS in adjutorium meum intende! *Item* Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. *Item*: Dominus firmamentum meum, refugium meum, patientia mea, Spes mea, fortitudo mea.

2dum punctum. Motiva semper Spei habendæ sunt hæc.

1mum. Ex S. *Bernardo* de septem panibus *ser:* 3. Tria, inquit, considero,

dero, in quibus, Spes mea tota consistit, charitatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis.

2dum. Quia DEUS præsentissimum offert in omnibus necessitatibus auxilium sperantibus in se. Quoniam in me speravit, liberabo eum, protegam eum *Ps.* 90.

3tium. Quia spes de futura felicitate est, quædam beatitudo hujus vitæ. Nam justi ex eo beati sunt, quia jus habent ad beatitudinem, quam se sperant post mortem obtenturos. Beatus vir (inquit *David*) cujus est nomen Domini spes ejus *Ps.* 39. Et S. *Aug: Lib: de Civitate DEI cap:* 19. Sicut (inquit,) spe salvi, ita & spe beati facti sumus, & sicut salutem, ita & beatitudinem non jam tenemus præsentem, sed speramus futuram. Propterea, spe plenus P. *Antonius de Padilla* moriens dixit. lætatus sum

in his, quæ dicta sunt mihi *&c.* Et *P. Franciscus Persæus* exactus, minimarum Regularum observator moriturus dixit: quàm dilecta sunt tabernacula tua Domine.

3tium punctum. Media spei exercendæ, & augendæ.

1mum. Usurpare varios actus spei, per ejaculatorias præcipuè, quæ spectant veniam, ad obtinendam veniam peccatorum, gratiam auxiliorum, gloriam præmiorum.

Ad veniam spectant.

Etiam si occideris me, in hoc ego sperabo. *Job:* 13. Quoniam tu Domine in spe constituisti me. *Ps.* In te Domine speravi, non confundar in æternum. *Ps.* Ecce sicut oculi servorum in manibus Dominorum. *Ps.* Domine qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet. O Bone JESU tota spes mea, nonnisi in magna misericordia tua.

Ad

Ad gratiam.

In Domino ſperans non infirmabor. *Pſ.* 26. Adiutor meus, & liberator meus es tu Domine, ne remoreris. *Pſ.* 69.

Ad gloriam.

In DEO ſalutare meum, & gloria mea. *Pſ.* 61. Expectans expectavi Dominum, & intendit mihi, *Pſ.* Et nunc quæ eſt expectatio mea nonne tu DEUS? & ſubſtantia mea apud te eſt, *Pſ.* 38. Eſto mihi in DEUM protectorem, & in Domum refugij. *Pſ.* 30. Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum *Pſ.* 83. Beati, qui habitant in Domo tua Domine, in ſæculum ſæculi laudabunt te *Pſ.* 138.

PRAXIS XXXII.

De natura, motivis, & mediis Studiositatis.

1mum punctum. Studiositas est virtus, quæ immoderatum appetitum curiosa sciendi comprimit, & animum ad necessaria addiscenda accendit.

Gradus studiositatis sunt tres.

1mus. Concipere ardens desiderium proficiendi in hac, vel illa scientia amore DEI. *2dus.* Seriò applicare potentias animi, & corporis ad studia. *3tius.* Constanter superare tædium, & alia inpedimenta, quæ in studijs solent occurrere.

Actus interni Studiositatis sunt.

Pluris æstimare curam virtutis, quàm scientiæ, frequentiùs elevare mentem ad DEUM inter studendum, Minutiora non contemnere. Lecta, vel audi-

auditá mente recolere. Plus velle audire, quàm loqui. Strenuè vincere desiderium ad alias materias transeundi.

Actus externi studiositatis sunt.

In dubijs, ac rebus difficilioribus ad DEUM, & Magistrum recurrere. In bono rerum successu omnia DEO attribuere. Pauca legere, benè intelligere, & memoriæ mandare. Sensus, præcipuè oculos, lingvam, aures, à curiositate reprimere. Nimiam cibi, ac potûs sumptionem vitare.

2dum. punctum. Motiva diligenter, ac fructuosè studendi.

1mum. Deducitur à triplici necessitate: *1ma.* ex parte DEI, qui ideò te de mundo periculoso ad suam Soci: vocavit, ut possis olim contra hostes illius strenuè decertare, ideòq; puta illud dici tibi. *Pro: V.* 17. Stude sapientiæ Fili mi, & lætifica cor meum, ut possis exprobranti responde-

re.

re. *2da.* Ex parte Societ: quæ, ut finem suum assequatur, duo à te requirit, pietatem, & scientiam, quas *P. Balthasar Alvarez* assimilat duabus arboribus Paradisi, arbor videlicet vitæ, & scientiæ. *Genes*: 2. *Item* duobus luminaribus, Lunæ & solis *Gen*: 1. Item duabus rotis, quæ trahebant currum gloriæ DEI *3tia.* Ex parte proximorum, tum benefactorum, qui ideò Collegia fundârunt, ut pietate, & doctrinâ prosimus illis. Undè, si otiosus panem Pauperum comederis, scias te strictam rationem DEO redditurum, tum aliorum, qui in magnis peccatorum tenebris versantur, ut per te illuminentur.

2dum. Affertur ab utilitate, tum quod juxta S. *Basil*: scientia maximum virtutis est ornamentum. *Item.* Ecclesiæ columna, & seges meritorum, ut habetur *Dan*: 12. Qui autem

tem docti fuerint, fulgebunt, quasi splendor firmamenti. Et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.

3tium. Ab exemplis: Studia cum virtute, & fructu tractantium *P. Petrus Justinellus*, quò magis in studijs provehebatur, eò magis in amorem DEI ex cognitione Creaturarum ascendebatur. Undè inter studendum magnam cum DEO familiaritatem acquisiverat. *Hieronymus Cygnardus* licèt magnum desiderium ad studia habuit, ita tamen illud indifferentia moderabatur, ut se totum dispositioni Superiorum traderet, & dicere soleret: Sicut pila non detrectat huc, & illuc projici, sic nos sine consideratione ulla debemus nos sinere tractari.

3tium punctum. Media utiliter tractandi studia.

1mum. Præscribitur à Spiritu S. *Prov:*

Prov: 4. *v.* 27. Ne declines ad dexteram, neq; ad finiſtram, juxta quod monitum, duo vitanda ſunt Scholaſticis: unum eſt nimia propenſio ad ſtudia cum detrimento ſanitatis, devotionis, humilitatis, indifferentiæ, & obſervationis Regularum, atq; ordinariarum actionum: alterum, nimia ac indiſcreta propenſio ad pietatem cum jactura ſtudiorum, quæ tentatio prima fuit S. P. N. *Ignatij*, dum incepiſſet ſtudijs vacare, ſed eam ſtrenuè vicit.

2dum. Continet varia dogmáta Sanctorum Patrum circa ſtudia tractanda *1mus*. S. *Bernardus* præſcribit hæc: *1mo*. Ut ſcias, inquit quò ordine, quô ſtudiô, quo fine, quæq; nôſſe oporteat propter ſtudia ex Regulis, aut diſtributione temporis omittendo. Exemplô P. *Franciſci Suarez*, qui dicebat ſe malle jacturam pati omnium ſuorum voluminum, quàm unicum

cum quadratem examini, vel orationi detrahere. Deindè, ne vagabundè hoc vel illud legas, citò ab uno ad aliud transeundo, & parum, vel nihil addiscendo; tandem, ne altiora quæsieris, dum inferior bus das operam. *2do.* Quô studiô, ut te seriò ad præscripta studia applices. *3tio.* Quô fine, ut non propter gloriam, & ostentationem, sed tantum ad tuam, & proximi salutem, & ad DEI gloriam studeas. *2dus. S. Thomas* Doctor *Angelicus*, qui petenti Fratri *Joánni*, quomodo fructuosè posset studere, inter alia dedit illi hæc monita; *1mum.* Ut esset tardiloquus *2dum.* Ut puritatem animæ curaret. *3tium.* Ut orationi diligenter vacaret. *4tum* Ut solitudinem amaret. *5tum.* Ut familiaritates nimias fugeret. *6tum.* Ut censurationes morum alienorum vitaret. *7mum.* Ut non respiceret, à quó audit, sed quid

quidquid boni dicitur, memoriæ recomendaret. *8vum.* Ut lecta, & audita intelligeret. *9num.* Ut de dubijs se certificaret. *3tio.* S. *Bonaventura*, qui Scholasticis volentibus proficere, inculcat hæc. *1mo.* Ut humilitati studeant vincendo amorem propriæ excellentiæ. *2do.* U mortificent vehementiores passiones, quæ mentem inquietant, qualis est nimius timor, dolor, pudor, odium, desiderium &c. *3tio.* Ut phantasiam, & cogitationes suas sciant collectas tenere, ne studendo uni rei de alijs cogitent.

3tium medium continet aliqua ante, aliqua in, aliqua post studia.

Antè studia. Eundo ad Scholam visita V. Sacramentum coram quo *1mo.* Offer DEO tuum laborem juxta praxim manè surgendi positam. *2do.* Pete auxilium â DEO, B. Virgine, Angelo Custode & SS. Patronis.

3tio.

3*tio.* Perge ad Scholam associatus modestè, in silentio renovando tuam intentionem exemplo P. *Laurentij Bartilij* qui dum Brunsbergæ Philosophiæ daret operam, ita suâ modestiâ, ac devotione studiosam juventutem in admirationem sui rapiebat, ut illum videndum, velut ad spectaculum concurrerent studiosi, qui illum solebant appellare JESU-Itam devotum, & doctum.

In studijs. 1*mo.* Applica animum ad ea, quæ dicuntur, exclusis omnibûs evagationibûs, pro quo juvabit diligens custodia sensuum, oculorum, aurium, lingvæ ab omni inordinatione. 2*do.* Elice frequentes actus virtutum expeditè unô suspiriô, non audientibûs alijs, supra qua re duo restant documenta S. P. *Ignatij* pro Scholasticis data P. *Brandino Lusitano*, Romà discedenti. 1*mum.* Ut se exerceat in præsentia DEI in omnibus

re-

rebus, & Creaturis ad Creatorem ascendendo. 2*dum.* Ut ſtudia, & labores ſuos multis vicibus offerat DEO, conſiderando, quod pro illius amore eos acceptaret, poſtponendo proprios guſtus, ut in aliqua re ſuæ Mageſtati ſerviret, adjuvando proximos, pro quorum vita Chriſtus Dominus mortuus eſt. Hanc doctrinam impleverunt Scholaſtici ſubditi P. *Conſalvi Sylveiræ* de quibus *P. Godinus Lib:* 8. *cap:* 10. erant, inquit, qui hac oratiuncula decies millies in die Sanctiſſimæ Trinitatis auxilium invocarent, quæ devotio, quia diſcreta eſt, non impedivit, ſed auxit ſucceſſum ſtudiorum.

3*tio.* *In* diſputationibus fuge arrogantiam, impatientiam, irriſiones, & confuſiones contingentes offer DEO hilaritèr.

Poſt ſtudia 1*mo.* Reflectas te breviter ſupra defectus commiſſos, pro quibus

dole,

dole, & emendationem promitte. *2do.* Gratias age DEO, & Sanctis Patronis pro felici successu, quem totum in authorem omnium bonorum refunde, nil tibi, nisi culpam adscribendo *3tio.* Offer DEO per manus B. V. MARIÆ, & SS. Patronorum tuorum conatum tuum proficiendi in studijs *ad majorem DEI gloriam.*

Ultimum medium: Usus ejaculatoriorum.

Da mihi Domine sedium tuarum assistricem sapientiam, & noli me reprobare â pueris tuis. *Sap: cap:* 9. *v.* 4. Mitte sapientiam de cælis Sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, & mecum laboret, ut sciam, quid acceptum sit apud te *Sap: cap:* 9. *V.* 20. Sensum Tuum Domine quis sciet, nisi cui dederis sapientiam, & miseris spiritum Tuum S. de altissimis. *Ibidem.* DEUS misereatur

ſtri, & benedicat nobis, illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri. *Pſ.* 66. Reple ſplendoribus animam meam *Iſa:* 58.

PRAXIS XXXIII.

De natura, motivis, & medijs, Temperantiæ.

1*mum punctum.* Temperantia eſt virtus, quæ moderatur appetitum concupiſcibilem circa delectabilia ſenſuum præcipuè guſtûs, & tactûs.

Gradus temperantiæ quo ad guſtum tres.

1*mus.* Eſt vitare exceſſum, & defectus omnes adverſantes temperantiæ, præcipuè in refectione. 2*dus.* In refectione nihil admittere ideò, quia placet & palato arridet, ſed quia nutrit, corpusq́; ſuſtentat. 3*tius.* Uti poculentis & eſculentis perinde ac

medi-

medicina, quem gradum teſtatur S. Auguſtinus ſe aſcendiſſe, hoc me, inquit, docuiſti, ut ad alimenta, tanquam ad medicinam ſumpturus accedam; nimirum tam quò ad menſuram, quàm prudens medicus præſcribit, tam quò ad repugnantiam, qua æger ſumit potionem etiam amariſſimam.

Actus interni temperantiæ quoad guſtum ſunt.

Propoſitum firmum facere ante comeſtionem non excedendi menſuram. Cogitationes de refectione cibi repellere. Aviditatem ciborum frænare. Deſiderium lautiorum ciborum frænare, offerre DEO ſitim, famem, & ſimiles alios defectus.

Actus externi.

Nunquam extra tempus & locum debitum communi refectione uti ſine feſtinatione modeſtè, decenter, corpus reficere. Nunquam de

cibo loqui murmurare aut conqueri. In æstu nimio moderatè potu uti.

2dum punctum. Motiva temperantiæ.

1mum. Quia monet Spiritus Sanctus *Eccl:* 31. Utere quasi homo, frugi cibis, qui tibi apponuntur ut non cum manducas odio habearis, cessa prior causa disciplinæ & noli nimius esse ne fortè offendas.

2dum. Quia temperentia inquit S. *Prosper* facit abstinentem, parcum, sobrium, moderatum, pudicum, taciturn, serium, verecundum.

3tium. Quia exempla id svadent multorum Sanctorum & præcipuè Societ: nostræ, ex quibus erat S. P. N. *Ignatius* jejunia sæpè protrahens, & interdum per dies septem ad tollendos scrupulos & P. *Christianus Majer* veruô jejuniô diem exiguâ panis frustulâ, & tenuioris haustu cerevisiæ traducebat. *3tium.*

3tium punctum: Media temperantiæ, vide in vitio Gulæ.

PRAXIS XXXIV.
De natura, motivis & medijs Timoris DEI.

1mum. punctum. Timor est fuga peccati ob pœnam temporalem *v.* æteram aut ob omissionem gloriæ *v.* offensam DEI.

Gradus timoris DEI sunt tres.

1mus. Est. Cum quis timet peccare, ne incurrat pœnam aliquam, ut servi faciunt. *2dus.* Cum fugit peccatum ob mercedem æternam, ut mercenarij. *3tius.* Quando quis non audet peccare, ne DEUM offendat, quia est infinite bonus: ut Filij.

Actus interni timoris sunt.

Recogitare severitatem Divinæ justitiæ abyssus. Contritionis actus

de peccatis elicere. Nihilitatem nostram in oculis ponere.

Actus externi timoris DEI sunt.

Satisfacere pro peccatis. Occasiones peccati vitare. Exactè Regulas servare.

2dum punctum. Motiva timoris DEI.

1mum. Justitia DEI rigidè peccata tam mortalia, quam venialia punientis non solum propria ut in Angelis, primis Parentibus, *Moyse*, *Davide*, *Osa*, sed aliena, etiam in unigenito Filio suo morte affecto

2dum. Abyssus judiciorum DEI, quod multi ad vitam æternam vocentur, & pauci salventur; ut patet in figura sacræ scripturæ de Populo Israelitico multorum millium in potenti manu & miraculis educto, & posteà rejecto. In *Jacob*: electo, & *Esau* odio habito. Tum, quod sæpè magni viri ob ingratitudinem per-

permittantur labi, & à statu suo cadere, ut videre est in Salomone olim DEO conjuncto, postea *Molach* idolum adorante, in *Saule* a DEO electo, & tandem ob prævaricationem Divini mandati è Regno ejecto, in *Nicolao Diacono* benè incipiente & in hæresi finiente. In origine & multis alijs Religiosis è culmine perfectionis ad mundi vomitum redeuntibus. Ideò qui stat videat ne cadat. Monet *Apostolus ad Cor:*

3tium. Tum extrema hominis mors, judicium, æternitas, tum exempla fugientium peccata. Cum P. *Antonius de Padilla* moriens præseferret timorem aliquem, sciscitanti cuidam non ne gravaretur mortali noxa? R. JESU bone quid hoc monstri ait? Religiosus & læthale crimen, quî possunt unâ consistere. Et *Pater Bernardus Realinus* multis annis nostrorum Confessarius, constanter

ſe dicebat non peſſe credere reperiri in Societ: grave veniale, mortale verò impoſſibile eſſe aſſerebat *Pater Ludovicus de Ponte*, obſtrinxit ſe votô viginti annis ante mortem, venialiter nunquam deliberatè peccandi.

3tium punctum. Media acquirendi timorem DEI.

Inter alia Uſus Ejaculatoriorum.

Juſtus es Domine & rectum judicium tuum, & omnia judicia tua juſta *Job*: Judicia tua abyſſus multa *Pſ.* 35. Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ. *Pſ.* Da Domine quod jubes, & jube quod vis. S. *Auguſtinus* Non intres in judicium cum ſervo Tuo Domine.

PRAXIS XXXV.

De natura, motivis, & medijs. Votorum obser[illegible]is.

1*mum* [illegible] vota observ[illegible] Religiosus ni[illegible]tat, per quod aliquod votum lædatur, aut violetur.

Gradus ejus sunt tres.

1*mus*. Concipere magnum desiderium exactè servandi omnia vota. 2*dus* Vitare in occurrentibus occasionibus etiam minimos defectus voluntarios delinquendi contra vota. 3*tius* Exercere actus heroicos, qui ad summam singulorum perfectionem votorum conferunt, *vg.* non tantum patienter & libenter sed etiam cum gaudio desiderare ferre effectus Paupertatis, castitatem æmulari Angelorum, qui nihil inordinati utpote spiritus puri patiun-

tur. Obedientiam non solum in executione exteriori, sed etiam in voluntate & judicio subijciendo præstare.

Act[illegible] externos & internos vide sub Paupertate, [illegible]itate, obedientia

2dum punctu[illegible]bservan-

d[illegible]

1mum. Ex parte ipsius Relig[illegible] Quia juxta S. *Hieronimum Chrysostomum & S. Thomam* Religiosus tenetur tendere ad perfectionem. Tria verò vota juxta eundem S. *Thomam* sunt præcipua media, quæ Religio habet ad consequendam prefectionem.

2dum. Ex parte DEI. Quia hæc vota offert Religiosus Regi terribili, qui aufert spiritum Principum *Ps.* 78. Proinde graviter potest & solet in hac & in altera vita punire.

3tium. Ex parte votorum, quia vota Religiosa sunt *1mo.* Sicut speculum,

culum, quod levis inficit aura, & in quo Religiosi inspicere quotidiè debent suas maculas, ut illas abluant lacrymis *2do.* Sicut pupilla in oculo, cui minimus pulvisculus nocet, & totum excæcat oculum. *3tio.* Sicut cor in homine, à quo vita & mors procedit. *4to.* Sicut medulla in arbore, quæ quamdiu sana est tamdiu arbor vivet, floret & fructus producit, at verò postquam medulla fuerit læsa, folia decidunt cum floribus, & tota arbor flavescit: Sic Religiosus &c.

3tium punctum. Media observandi vota.

1mum. Ex S. *Basilio* usurpandum præcipuè in occasione peccandi contra aliquod votum: memoria professionis suæ, quam Religiosus professus est coram DEO & Angelis & hominibus.

2dum. Meditari de votis & examen de illis facere. *3tium.*

3tium. Frequentius renovare vota manè præcipuè in sacro, examine & trina salutatione Angelica, & quando occasio se offert violandi aliquod votum.

4tum. Exemplum, P. Ægidius quotidie in sacro vota renovabat.

5tum. Usus ejaculatoriorum.

Vota mea Domino reddam coram omni Populo ejus *Ps.* In me sunt DEUS vota tua *Ps.* 55. Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea Sic. psalmum nomini tuo dicam in sæculum sæculi, ut reddam vota mea de die in diem *Ps.* 60. Holocausta medullata offeram tibi *Ps.*

PRAXIS XXXVI.

De natura, motivis & mediis Zeli animorum.

1mum. punctum. Zelus animarum

est

est desiderium fervens, ortum ex amore DEI avocandi proximum à malo, & perducendi ad finem suum ultimum qui est DEUS.

Gradus ejus sunt tres:

1*mus*. Procurare diligenter ea, quæ requiruntur ad iuvandum proximum, qualis est pietas & doctrina, eo fine, ut facilius verbô & exemplô DEO illum lucrari possimus. 2*dus*. Quærere dextrè occasiones juvandi proximum. 3*tius*. Aggredi & sustinere ardua quæq; postpositis omnibus proprijs commodis in reducendo proximo ad DEUM.

Actus interni Zeli animarum

Sæpius facere & renovare propositum vitandi ea vitia, quæ arcent proximum à bono. Concipere magnum desiderium profectûs proprij, ut olim profuturus sis proximo. Præferre loca & officia abjectiora speciosis modò juvetur pro-

ximus. Non pluris facere nobiles quam ignobiles in cura ſalutis eorum. Libenter tolerare incommoda pro lucrandis animabus. Velle fieri omnia omnibus, ut omnes lucri faciamus Chriſto. Reſolvere ſe etiam ad mortem lucrandi proximi gratiâ.

Actus externi Zeli animarum.

Mortificare exteriores defectus ne ſcandalizent proximum. Diligenter incumbere ad virtutem & ſtudia, ut aptum inſtrumentum evadas, & qui curant ſalutem proximi ex colloquijs indifferentibus ad ſpiritualia deſcendere. Offerre ſe ad miſſiones, ad Catechiſmum, infirmos, confeſſiones audiendas &c.

In victu, veſtitu, loco, & perſonis delectum non quærere. Accomodare ſe moribus non tamen malis proximi ad ipſum lucrandum.

2dum punctum . Motiva Zeli animarum. *1mum.*

1mum. Eſt præſtantia zeli ob hæc: *1mo.* Quia omnium Divinorum (inquit *S.Dioniſius Areopagita de Cæleſti Hierarchia c.* 1.) diviniſſimum eſt cooperari in ſalutem animarum *2do.* Quia nullum (inquit S.*Gregorius hom.il:12 .in Ezech:*) omnipotenti DEO ſacrificium eſt tale,quale eſt zelus animarum.*3tio.*Quia Chriſtus Dominus, (ut docet S.*Chryſoſtomus*)dicens illud ad Petrum: Si diligis me plus his:paſce oves meas, voluit ex zelo animarum amoris ſui erga Chriſtum magnitudinem oſtendere. *4to.* Quia etiam Angeli (inquit S. *Ambroſius*) ſine zelo nihil ſunt.

2dum. Neceſſitas. 1mo. Quia à nobis exigit zelum animarum DEUS, qui nos ideò tot beneficijs ditavit, ut animas ſangvine Chriſti redemptas ab hoſte illius eripiamus *2do.* Inſtitutum noſtrum exam:*C.* 1. §. 2

Un-

Undè Regula *sum.* 2. Finis hujus Societatis eſt non ſolum ſaluti & perfectioni propriarum animarum cum Divina gratia vacare, ſed cum eadem impensè in ſalutem & perfectionem proximorum incumbere. 3*tio.* Charitas proximi ut illi ſuccurramus in re ſummi momenti, qualis eſt ſalus animæ.

3*tium.* *Utilitas* Quia zelus meretur præmium magnum de quo *Iſai:* 83. Si poſuerit pro peccato animam, videbit ſemen longævum. *Et Dani* 12. Qui erudiunt ad juſtitiam, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.

4*tum.* *Exempla* 1*mo.* Chriſti Domini *Joan:* 4. JESUS ergo fatigatus ex itinere ſedebat ſupra fontem. 2*do.* Pauli Apoſtoli *Rom:* 9. Optabam etiam ego, eſſe anathema à Chriſto pro fratribus meis. 3*tio.* S.P.N. *Ignatij* cujus ardentis zeli (ut in

ejus

ejus vita scribit) testis est Parisiensis lacus frigidus, in quo mersus juvenem perditum ad meliorem frugem revocavit. Testis decretalis *Inocentij* III. ne medici manum ægroto admoverent, nisi prius confiterentur, quæ *Ignatij* labore instaurata est. Tistis cura Cathechumenis præstita & diploma *à Paulo III. Pont: Maximo* impetratum: ne liberis Judæorum contra voluntatem Parentum ad Christum concurrentibus fides aliquod detrimentum rerum temporalium adferret. Testis ædes S. *Mariæ Magdalenæ* pro conversis fæminis instituta. Testis inter plurimos similes ille æger, cujus morbô *Ignatius* cognitô, quamvis ipse infirmitate fractus, & alij sani adessent, accurrit, & per totam noctem suam operam agonizanti magna cum charitate impendit: Solebat dicere S. *Pater*: Si quid ad salutem animarum

per-

pertineret, paratissimum se esse nudis pedibus, cornibusq; onustum per plateas incedere. 410. S. *Franciscus Xaverius*, qui æstuans zelô animarum 1*mo*. Non erubuit pro tradenda doctrina Christiana pueris lingvam malevaricam à suis alumnis veluti puer factus ediscere, & per edoctos à se alios ad Christum adducere, 2*do*. Ita circa animas laboravit, ut inter baptizandum defatigatis manibus langveret, & inter docendum, sæpè voce & viribus deficeret. Non illum à cura animarum longa itinera, æstus, frigora, rerum pænuria & Latronum pericula poterant avocare. Undè pergens Meacum decoram servitutem ratus pro Cristo, adjunxit æquiti cuidam, ita ille in æquo, hic nudis pedibus adæquans cursum æquitis sarcinulam illius portaret cum rebus suis admissam spectantibus, ut Meacenses posset viam veri-

tatis edocere, á quibus cum locò gratitudinis probra & lapides reportaret, ibat gaudens, quod dignus habitus esset pro nomine JESU contumeliam pati exemplo Apostolorum. *Act:* 5.

3tium punctum. Media acquirendi zeli animarum.

[illegible]mum. Studium placendi DEO.

[illegible]ndere sua talenta curæ animarum.

3tium. Usus ejaculatoriorum.

Excita potentiam tuam, & veni ut salvos facias nos. *Ps.* Domine converte scelestos & peccatores simul. *Isa:* 1. Respice in servos tuos, & sit splendor DEI super nos. Fac Domine, ut cognoscamus in terra viam tuam in omnibus Gentibus salutare tuum. *Ps.* 66. Zelus Domûs tuæ comedat me Domine *Ps.* 68. Tabescere me faciat zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. *Ps.* 18.

PRAXIS
Utriusq; Examinis.

Cum S. P. *Ignatius* in Libello Exercitiorum spiritualium à sede Apostolica approbato per *Bullam Pauli III.* quæ incipit: *Pastoralis Officij cura et tc.* ed [redacted] acuntet: Generale unum, Particulare alterum. De utroq; hic tum ex Industrijs *V. P. Gasparis Drużbicki*, tum ex Libello Monachij & Tyrnaviæ Demum Vilnæ A. 1757. edito breviter innuo, igitur sit.

De Examine Generali.

Non possum ullo modô committere, quin examinis generalis Praxim Primam à Sanctissimo Fundatore Societ: JESU inscriptam & traditam hoc loco alijs omnibus præmittam; non tantum ideo quia est tanti viri

In-

inventum, sed etiam quia est omnium aliarum de examine adferendarum Praxium fundamentum ac norma, ita ut omnes quæ sequentur sint quodammodo ejus & partes & imitationes.

1mo. itaq; hanc, quam ipsius S. Patris verbis praxim 5. punctis expressam subjungo:

I. Punctum est Domino DEO nostro pro beneficijs gratias agere.

II Punctum pro cognitione & expulsione peccatorum gratiam flagitare.

III. Punctum & de admissis præsenti die peccatis rationem ab anima exigere per horas singulas ex quo surreximus vestigando & *1mo.* quid circa cogitationem, deinde circa loquelam atq; operationem.

IV. Punctum est poscere veniam de delictis.

V. Punctum est Proponere cum

DEO

DEI gratiâ emendationem & Orationem Dominicam post omnia dicta recitare.

2do. Circa hanc Examinis Praxim observat *V. P. Drużbicki* 1*mo.* Ideò generale vocari, ut à particulari distingvatur. Particulare enim contra unum particulare vitium pugnat, generale verò contra omnia. Unde illud uni tantum Vitio particulari attendit, hoc omnibus. *2do.* In illis 5. punctis observat hæc fermè includi atq; etiam agi posse:

1. Est agere gratias. 2. Lumen à DEO petere. 3. Peccata commissa cogitatione, verbo, opere, omissione, investigare. 4. Eorum occasiones, radices, causas indagare. 5. Ea detestari. 6. de iis confundi. 7. de ijsdem ex animo dolere atq; conteri. 8. Emendationem seriam individuamq; proponere. 9. Eadem aliqua ratione punire. 10. veniam postulare. 11.

re 11. Eadem vitare. 12. Eadem oppositis actibus virtutum frequentatis supplere. Quæ omnia si in examine servarentur, aliquantò quam solet exactius, nullum in nostris mentibus posset esse vitium diuturnum & annosum. Nullum tamen accuratius punctum est observandum, quam peccatorum detestatio, de iis confusio, dolor, & emendationis propositum.

3tio. Praxis examinis potest fieri à vulnerum Cristi Domini applicatione.

In. 1ma. parte examinis aguntur gratiæ pro beneficiis. Unde *1mum.* Christi vulnus sit *Gazophylacium*, in quo beneficia nobis collata reponuntur v.g. vulnus sacratissimæ manus tuæ dextræ Dulcissime JESU sit mihi *Gazophylacium* donorum: Naturæ, gratiæ, & gloriæ dicaturq; Oratio ex Deliciis Eucharisticis. *Adoro te &c.* *In*

In 2da. Examinis *parte* petitur lumen ad cognoſcendas animæ & conſcientiæ latebras Quare 2*dum.* vulnus Chriſti ſit *ſol* illuminans, è quo poſtulatur & ſumitur radius ad illuminandas cordis tenebras vg. Vulnus ſacratiſſimæ manûs tuæ ſiniſtræ Dulciſſime JESU, ſit *Sol* meus qui lucis ſuæ radium emittat in animam meam, ut cognoſcam Quis tu ſis? Quis ego? & ut perſpiciam omnia peccata mea, defleam illa, ac pretioſo ſangvine tuo abluam luculenter: Dicaturq; *amantiſſime JESU ettc:*

In 3tia. Examinis *parte* indagantur vitia & peccata ideô 3*tium.* Chriſti vulnus, ſit ſpeculum, ad quod anima intuetur ſe, & omnia cogitata, dicta, facta & omiſſa. Vulnus ſacratiſſimi pedis tui dextri, Dulciſſime JESU: ſit *Speculum* meum, in quo videam, & conſiderem vitiorum

meo-

meorum numerum, gravitatem, & fæditatem.

In 4ta. Examinis *parte* Cor dolore de peccatis conteritur, & contritionis holocaustum offertur, idcirco Quartum Christi vulnus Pedis sinistri sit *Altare* seu *Ara* in qua cor contritum & humiliatum pro delictis DEO offertur. vg. Vulnus sacratissimi pedis tui sinistri Dulcissime JESU sit mihi *Ara* contriti cordis mei, ut per sangvineum in cruce holocaustum verum merear consequi, de meis peccatis dolorem. Dicatur: *Ach! quam longè aberravi etc:*

In 5ta. Examinis *parte* fit propositum emendationis, constantiæ robur, quare Quintum Christi lateris vulnus sit Arx refugii & munitio ad quam anima confugit, ut sit tuta. vg. Vulnus sacratissimi cordis tui Dulcissime JESU, sit mihi Refu-

gium

gium, munitio & defensio contra omnia peccata mea. Largire ex purissimo cordis tui vulnere vel unicam guttulam sangvinis tui, in pignus & aram peccatorum meorum à Te mihi in æternum remissorum. Jnclude autem me in imis visceribus cordis tui, atq; ibi me detine, excoque, exure, expurga, accende, ignefac, sublima, in cordis tui naturam converte, ad purissimi cordis tui gustum atq; placitum, ad puram annihilationem meam Amen. *Dicaturq; Amantissime JESU.*

Hæc conjunctio examinis cum JESUChristi vulneribus, auget in anima pietatem ad JESUM pro nobis vulneratum, reddit Examen gratius, ad pellenda vitia efficatius, ad delenda peccata validius. Animam ad profectum excitat & roborat.

De

De Examine Particulari

Inter cæteras, quæ ad profectum in Spiritu urgendum, promovendumq́, exercitationes valent plurimum, peritorum judiciô præcipuum hab:t momentum, usus assiduus Examinis particularis. Praxis illius inter cætera:annotationem errorum de uno Examine, in aliud commissorum exigit, quam quod aliquid habere molestiæ videatur, difficiliorem subinde experimur, at faciliorem redet hic, quem subijcio modus. Sine atramento, sine chartis aliis, quæ neq, commodè circumferuntur, neq; semper ad manum sunt, in plures annos notandis erroribus, & utilis est futurus, & sufficiens. Habeatur parvus Libellus tal:s, in quo acicula aut stylus plumbeus pro calamo serviat.

Quidni tali libello usos fuisse

arbitremur juxta normam à S.P.N. *Ignatio* præscriptam, plurimos nostræ Societatis Patres; uti *R. P. Joannes Cannaz* è *Societate JESU* Vir probè Religiosissimus, quem P. *Sebastianus Berettarius* in annuis 1596. Ejusdem Societatis à se conscriptis *fol.* 487. *Junij* 8. Ejusdem Anni obijsse memorat. Magno autem ad hoc Examen peragendum per singulos dies à 30. annis notatum volumine non eguisse satis exiguus Libellus ostendit.

Ut proinde imitari cum fructu possis quod circa illud faciendum subijcio nempe:

Tria Tempora observes.

Primum Matutinum. Quo cum primùm à somno surrexeris & Sanctissimum Sacramentum more consveto Societatis visitaveris, circa fugam vitij, cujus oppu-


gnationem suscepisti, propone-solicitam curam, suiq; exactam custodiam, atq; à Domino gratiam, quâ id consequaris, efflagita.

Secundum Meridianum, quo etiam gratiæ postulatione præmissa ad lapsus præteritos cognoscendos, & in posterum præcavendos, discute te ipsum sedulò, percursis à relicto somno horis diei singulis. & quot lapsus animadverteris, tot puncta aut notulas supra lineam diei illi respondentem efforma, ac demum quod superest temporis, diligentiore tui adhibita cura & custodia transfigere statue.

Tertium Vespertinum quo te denuo discute, horasq; à præcedenti Examine lapsas evolve, numeratis iterum vicibus, & signatis,

non jam supra sed infra lineam vicibus per puncta aut notulas, quibus deliquisse contigerit. Clarius id intelliges, si figuram quam subijcio inspexeris.

Ut scias reprobare malum & eligere bonum.



Addo his documenta 4.

1. Quoties contra id, quod vitare ſtatuiſti, te deliquiſſe adverteris, admotâ pectori manu dolorem teſtare, fieri hoc poteſt adſtantibus alijs nec advertentibus.

2. Sub noctem numeratis collatiſq; invicem punctis lineæ, cujus superior pars priori, inferior poſteriori ſervierat, attende an à priori ad poſterius aliquid ſit emendatum.

3. Ut antea examen cum examine, ſic deinde diem cum die compone, ut de emendatione melius judices.

4. Ad extremum; etiam hebdomadam cum hebdomada, unde non difficulter aut profectum aut defectum agnoſcas.

Quia verô profectus ſperatur, ita ſint compoſitæ lineæ ut prima cæte-

ris longior, reliquæ paulatim breviores, quemadmodum indies minui erratorum numerum.

Juvabit quoq; ad victoriam.

1. Sibi ipsi pro commissis erratis pænæ aliquid injungere & exequi, seq;ea ratione ad bonum propositum complendum quodammodo adigere.

2. Sub initium aut finem confessionis de facto aut neglecto hoc examine ad confessarium referre magis etiam speciatim á postrema confessione instituta numerum lapsuum recensere.

Haetenùs de Praxi examinis ad vitium eradicandum imperfectionesq; tollendas. eadem Praxis non minus virtuti animô inserendæ firmandæq; serviet, si ad similitudinem fere prioris industriæ cum primum quis surrexerit certum sibi statuat actionum virtutis, cui incumbendum putet, numerum ac deter-

terminatum, quem horis ante meridianis expleat. Deinde verò seipsum sub meridiem percunctetur, & an deflexerit à proposito in numero suscepto virtutis exercendæ? observet, tot notulis lineæ superadditis, quot actus eliciendos emiserit.

Deniq;alium tum etiam numerũm statuat magis accurate servandum de quo sub seram vesperam disquirat, num proposito meridiano intentioniq; responderit? servatis notarum apicibus, punctisvè, ut supra.

ORATIO.

Mane meridie & vesperi cum innovatione boni propositi recitanda.

DEUS qui diligentibus te facis cuncta prodesse, da cordibus nostris inviolabilem tuæ Charitatis affectum, ut desideria de tua inspiratione concepta, nulla possint tentatione mutari. Per Chistum Dominum nostrum Amen.

Ad M. D. Gloriam.

ELENCHUS PRAXIUM.

Extirpandi vitia.

Odij.

ELE-

ELENCHUS.
PRAXIUM.

Inſerendi virtutes.

Mor-

PRAXIUM.

2.	67.	893.	1.	87.	116
	68.	906.	2.	88.	117
1.	69.	920.		89.	118
2.	70.	933.	1.	90.	120
	71.	946.	2.	91.	121
1.	72.	960.		92.	122
2.	73.	973.	1.	93.	124
	74.	986.	[illegible]	94.	125
1.	75.	[illegible]	[illegible]	95.	126
2.	76.	[illegible]	[illegible]	96.	128
	77.	[illegible]	[illegible]	97.	129
1.	78.	[illegible]	[illegible]	98.	130
2.	79.	[illegible]	[illegible]	99.	132
	80.	[illegible]	[illegible]	100.	133